DE
M. VELLEI PATERCVLI FIDE HISTORICA
COMMENTATIO.

46.

DE

M. VELLEI PATERCVLI FIDE HISTORICA COMMENTATIO

SCRIPSIT

ALFREDVS PERNICES

PHILOSOPHIAE DOCTOR ET BONARVM ARTIVM MAGISTER.



LIPSIAE.

APVD GVILELMVM ENGELMANNVM.

MDCCCLXII.

DE

M. VELLEI PATERCVLI FIDE HISTORICA COMMENTATIO

SCRIPSIT

ALFREDVS PERNICES
PHILOSOPHIAE DOCTOR ET BONARVM ARTIVM MAGISTER.



LIPSIAE.
APVD GVILELMVM ENGELMANNVM.
MDCCCLXII.

ARGVMENTVM.

PARS PRIOR.

PARS ALTERA.

COMMENTATIO.

Pars prior.

I.

Opusculum Velleianum in codice, quo solo ad nos pervenit, Murbacensi inscribitur historiae Romanae libri duo. Cuius inscriptionis singula fere verba ita impugnauit Lipsius, (p. XI. XII. ed. Ruhnk. prior.) ut neque omnino historiam aut Romanarum rerum enarrationem his libris continere, nec duos quondam libros fuisse adfirmaret. Quorum quidem hoc nil huc facit. De ea enim re, cum opusculi magna pars interciderit, prooemium continens et annos urbis 585. priores, conicientes operam oleumque perderemus. Illa tamen diligentius examinanda sunt. Cum autem prooemium, ut dixi libri perierit[1]), partim ex rebus quae narrantur ipsis, partim ex eis, quae de consilio libri hic illic inserta sunt, quid in historia conscribenda secutus sit, eliciendum est. Atque uerum quidem est, Velleium a Troia expugnata originem narrandi trahere, deflectere eum ad res Graecorum describendas, quin imo de rebus Assyriorum Medorumque brevem adnectere notitiam. Attamen horum populorum nusquam postea, nisi forte a Romanis bello petiti sunt, mentionem facit. Itaque magis neglegentia quadam videtur eos hoc loco commemorasse, quam quod totius operis ratione postulabatur. Contra res Graecorum enarrari scriptoresque Graecos recenseri in historia Romana, non est quod miremur. Primum enim Romani, postquam Graecorum litteris aliquantisper inbuti sunt, non iam extraneos eos putabant esse, sed suos atque familiares. Deinde cum Velleius ex eis esset, qui Tiberi consuetudine uterentur, (2, 113, 3. 114, 1. 121, 3. 124, 4. cfr. Dodwellius, ann. Vellei. § XXVIIII. p. CXIII R. Kritzius XI.) ad Graecos studia eius, siquae harum rerum erant, necessitate quadam deferebantur. Nam Tiberium putidam Graeculorum illius temporis doctrinam inrisisse, sed poemata antiquiorum Graecorum imitatum atque in secessu Rhodio scholas eorum secutum esse, inter omnes constat[2]). Denique res Graecorum ita narrantur, ut quasi aditum patefaciant ad res Romanas describendas. Quam obrem uel his de caussis non uideo, cur codicis inscriptio mutetur.

Sed clarius etiam rectam eam esse adparebit, si cur Velleius libellum scripserit consi-

[1]) In quo consilium totius libelli expositum esse, cum per se probabile sit, tum ex multis locis apte conligitur. cfr. 2. 55 § 1. 89 § 6. 96 § 3 (semper paragraphos citabo editionis Ruhnkenianae prioris. cll. Kritzius, prolegg. XX.)

[2]) Suet. Tib. 11. 56. 70. (cfr. Casaubonus ad h. l. 4, 60 W.) Hoeckius H. R. 2, 56. Sauppius quidem (Mus. Helu. 1, 172), quae de Graecis Tiberi studiis tradit Suetonius non in laudem eius vertit, sed miserabiles quasdam ineptias fuisse dicit. Quod ego unde sciat nescio.

derauerimus. M. enim Vinicio consuli a. 783. misit ita compositum, ut usque ad consulatum eius narrationem perduceret (1, 8 § 1 § 4; 12 § 6; 2, 7 § 5; 49 § 2 etc.). Quod ex eorum temporum moribus fuisse Dodwellius l. c. CXIIII. multis exemplis probauit. Sed hercule non aptum fuisset et externarum gentium et Romanorum res narranti in consulatu consulis Romani desinere. Quod quamuis in imperatorem consulatum gerentem cadere possit, in alio prorsus ineptum est. Itaque hac quoque re mouemur, ut ea quae de Graecis exponantur ex subseciuis Vellei studiis hausta exornandi caussa addita esse statuamus.

Atque erat, cur Velleius exilis argumenti ornamenta circumspiceret. Nam cum consules plerumque mense Iulio designari solerent, (Cic. ad Att. 1, 16 § 13. Ep. 8, 4 § 3. cf. Adamus A. R. 1, 213. Beckerus et Marquardtius A. R., 2. 2, 103.) munus Kal. Ian. auspicarentur, mensium sex spatium Velleio relictum erat, quo librum conscriberet. Fieri igitur non potuit, quin propter magnam festinationem summam tantummodo rerum complecteretur (1, 16 § 1. 2, 41 § 1. 108 § 2. Kritzius XXII.). Sed alia etiam damna ex hac celeritate profecta sunt, quibus opusculum defoedatur. Ac primum quidem, id quod primo quasi oculorum obtutu animis refragatur, uniuersum opus ita compositum est, ut, sitne annorum seriem scriptor secutus, an interiore quodam necessitatis uinculo singulas res voluerit conectere, plane non possit intellegi. (Krausius prolegg. VIIII. ed. Bip.). Cum enim tales saepe numero formulae dicendi occurrant, quibus annalium scriptores uti solent (sicuti per idem tempus, tum, subinde 2. 96 § 2.) tamen non minus frequenter libellus pragmaticae, quae dicitur, rerum scriptionis prae se fert speciem. Ita, ut exempla ex multis pauca seligam, ubi primum Octauianus rempublicam capessit, omnia ea enarrantur, quae antea ei acciderant; (2. 59 § 2) postquam omnia ea descripta sunt, quae in Italia euenerunt post Caesarem interfectum, in Asiam atque ad coniuratos transitur, et quem ad modum illi incrementa paullatim potentiae ceperrint, inlustratur. (2, 69. cfr. 1, 12 § 4. 2, 12 § 1. 29 § 2. 76 § 2. 90 § 2.). Generis autem historiae conscribendae, quod πραγματικόν dicitur, Velleium studiosum fuisse uel eo probatur, quod de rebus gestis iudicia saepius inserit, quodque earum caussas indagare conatur. Nec tamen putandum est, Velleium ita scripsisse, ut necessitate quadam singulas res cohaerere eluceret. Contra eum, qui cotidiana fere eorum consuetudine utatur, a quibus uniuersus orbis terrarum administretur, ut a quam paruis initiis magnae res interdum originem capiant, experiatur, consentaneum est, rectius de hominum ingeniis et de occultis animi motibus iudicare. Simul autem timendum est, ne repentino cuidam aut amicitiae aut odi feruori nimium tribuat. Tale quid in C. Graccho usuuenisse uidetur, quem uindicandae mortis fraternae caussa seditionem fecisse censet. (2, 6 § 2.). Simillime res se habet, cum narrat, Caesarem adminiculatum esse, ut Cicero in exsilium mitteretur. Nam Caesarem iratum fuisse Ciceroni, qui inter XX uiros agris diuidundis creari nollet (2, 45 § 2.). Neque enim potest esse dubium, quin Cicero, cum III viris negotia inportuna facesseret uel certe posset facessere, per Clodium ab ipsis III uiris pulsus sit, postquam eis, quas Caesar honorificas ei commendaret, uiis Romam relinquere summa pertinacia repudiasset. (Cic. ad Att. 2. 18, 3. 19, 5. Drumannus, H. R. 5, 614.). Itaque quamuis illa pragmaticae historiarum scriptionis uestigia magnam partem ex uniuerso Vellei consilio orta esse adpareat, tamen multo saepius neglegentiae tribuenda sunt, qua res gestas non idoneo in-

strumento nitens uarie et minime uno tenore propter festinationem exponit. Cum enim haud raro accidat, ut suo loco rem omittat, quam deesse procedente scriptione animaduertat, statim quolubet loco eam interponere non dubitat. Luculentum autem huius neglegentiae exemplum est 2. 68 § 1, (Sauppius 158.) ubi Caeli et Milonis seditionem se praeterisse ipse dicit, ut post proscriptiones eam referre necesse esse putet[3]). Ex eodem fonte fluxerunt, quae summo iure Kritzius LXI. uituperauit, inmanes orationis ambitus, (u. c. 2, 121 § 2. §. 3.) quibus non solum sententia scriptoris obscuratur, sed elegantia etiam dicendi ualde imminuitur. Nam ubicumque magno uerborum ambitu oratio foedatur, certum est, rerum continuationi tale quid interponi, quod antea fuerit omissum. Ita Cn. Pompeium patrem Asculum bello sociali cepisse narrat; (2, 21 § 1.) Pompei exercitus describitur, ut quam belli molem Caesar in Graeciam adueniens subierit inlustretur (2. 51 § 1.) alia id genus (cfr. 2, 28 § 2. 55 § 1. 58 § 2.)[4]).

Sed non nunquam accidit, ut ne necesse quidem esse statuat, ea quae omiserit postea proferre. Sicuti bellum seruile Siculum sine dubio 2, 13 § 1. commemorandum fuit; (Sauppius 151) seditio post Sullae mortem a Lepido facta ne uerbo quidem attingitur. Qua de re infra multis locis uidebimus.

Praeterea autem aliam etiam in partem Velleius peccare uidetur. Quamquam enim sine dubio proposuit, secretas rerum gestarum caussas rimari, tamen, si paucis a locis discesseris, ut 2, 1., ubi Karthagine deleta Romae perniciem adlatam esse explicat, nunquam sequentia ex antecedentibus ita pendere demonstrat, ut secus ea accidere non potuisse eluceat. Imo omnia ad singulorum hominum ingenia refert, quibus rerum ordinem regi uidetur opinari. Itaque singulorum uirorum animos quales fuerint diligenter depingit, ut quomodo quae fecerint ab illis fieri posse intellegatur. Quibus in descriptionibus ex parte optime uersatus est, ut in Maecenatis 2, 88 § 2 (cfr. Hoeckius 1, 311) aliisque (Sauppius 156). Hoc ego partim ex celeritate scribendi explicandum esse censeo, qua prohibitus est, quominus satis magnam rerum gestarum scientiam hauriret, partim ex ea, qua laborat, leuitate. Quamquam enim satis habeat sagacitatis, ut quae in promptu sint caussas expedire possit, tamen uniuersum rerum ambitum uno quasi obtutu non conplectitur.

Haec vero Vellei leuitas multis ex rebus cernitur. Omittam enim, id quod adcuratissimis scriptoribus occurrere potest, eandem formulam dicendi bis positam, 2, 22 § 5. 2, 28 § 3.

[3]) Alia exempla, quae uix e studio illo pragmaticae scriptionis orta putari possunt, sed ubi neglegentia nunc maiore, nunc minore calliditate, quin etiam elegantia quadam interdum tegitur, sunt 2, 62 § 2. 91 § 1. 96 § 1. 116 § 2. 15 § 5. 30 § 5. 31 §. 3. 18 § 6. Non nunquam uero patet Velleium omnino non sciuisse, ea quae postea narraret antea accidisse. Ita dicit legem Aureliam Cottae eodem quo Gabiniam tempore latam esse (2, 32 § 2). Constat autem hanc a. u. 687. illam a. 684. legis uigorem obtinuisse. Similiter Clodium occisum esse narrat, postquam Pompeius consulatum iam adeptus esset. (2, 17 § 4) Contra autem omnino est. Nam Clodius occisus seditionesque inde ortae caussam idoneam praebuerunt Pompeio consulatum deferendi. cfr. Dio 40, 45 pr. (Clodius occisus est) μηδενὸς τοῖς πράγμασιν ἐπιτεταγμένου. —

[4]) Minus ad propositum nostrum pertinet, quod singulae narrationis partes non nunquam male et cohaerent et sibi respondent, ut alia quae minoris momenti sint magna uerborum iactantia proferantur, alia, quae maioris, uel breuibus comprehendantur uel omnino non commemorentur. Sic euenit in Catonis oratione quam in Catilinarios habuit describenda, cum Caesaris oratio prorsus silentio praetereatur; eadem res est in Tigranis oratione qua longa ac perpolita se in dicionem Pompei „permittit“ (2. 37. 2.).

Corinthus quo anno condita sit bis narratum (1, 3 § 3. et 13 § 1.). Illud autem ex nimia leuitate ortum est, quod Pompeium cum Crasso et Caesare triumuiratum inisse narrat, quo ea, quae in Asia ordinatus esset, confirmarentur (2, 44 § 2.). Sed nil eorum quae nouiter in Asia Pompeius instituerit adfertur, (2. 37, 5. 38, 6) quin etiam ne postea quidem, ubi, Caesar consulatum adsecutus est, utrum illa a populo confirmata sint necne explicatur (2, 44.). Simile quid Velleio accidit in rebus narrandis Caesaris mortem insecutis. Nam cum coniuratis dicat praeteritarum rerum obliuionem concessam esse (2, 58 § 4), eodem decreto senatum acta Caesaris rata habuisse atque quae ex scriptis eius promulgarentur antea confirmasse omittit. Quo fit, ut quae postea (2, 60 § 4) de actis Caesaris proferat ab Antonio corruptis quo pertineant non facile intellegatur (cfr. Cic. Phil. 2 § 100. Drumannus 1, 94 [86]).

Quae cum ita sint, facile Kritzio LXVI. adsentiemur, qui prae celeritate Velleium non ita opus limare potuisse censet, ut ad perfectionem quandam adduceretur.

II.

Haec autem leuitas, quam non paruam esse in Velleio demonstraui, ex ea, quam miles et quam in aula deinde Tiberi degebat, uita haud difficulter explicatur. Cum enim scipserit historiam, ut Vinicio gratularetur, eum altius reconditos fontes inquisisse non potest putari. Sed alia etiam sunt, quae ex aulae consuetudine explicanda esse censeam. Primum enim genus quo utitur dicendi oratori saepe quam rerum scriptori est adcommodatius (1, 11 § 6. 2, 27 § 2. 75, 3.). Quod quanquam per se nihil facit ad fidem historicam deminuendam, tamen periculum uel laudis aliorum uirorum quos admiretur nimis exaggerandae, uel uituperationis aliorum nimis intendendae adesse manifestum est. Sed etiamsi ab eo discesseris, quod nimius, ut infra uidebimus, est in quorundam posterioris temporis uirorum laude, sunt, ubi in apertum errorem incurrat, propterea quod oratoria adhibere ornamenta, quam simplici oratione uti maluit. Ita Ti. Gracchum scribit eis quibus interficeretur comitiis in foro stetisse concientem fere totius Italiae frequentiam. (2, 3 § 2.). At cum comitia haberentur mense Quintili, rustici aestate prohibiti in urbem non uenerant. (App. B. C. 1, 14.) Simillimum est, quod terrarum orbem Tiberi digressum in Rhodum sensisse dicit. (2, 100 § 1.) Orbis enim terrarum Parthorum incursus Tiberio etiam tum Romae morante senserat, quorum bellum ipsi Tiberio mandatum erat. (Dio 55, 9 p. 352 Sturz.) Eodem orationis amplificandae studio prouectum esse puto Velleium cum Krausio, ut VII. Domitiorum, qui ad consulatum peruenissent maximam partem triumphasse narraret; constat enim duos triumphasse. Qua de caussa in Velleium inuehuntur Popma 723 (ed. R.) Ruhnkenius 103. Kritzius 121. (2, 10 § 3), quod eo Tiberi gratiam captare uoluerit. Iniuria, ni fallor. Neque enim uideo cum unusquisque apertum errorem refutare posset, quo modo apud Domitios hac re gratiam inierit. — Non nunquam autem accidit, ut non in errorem, sed in insulsitatem quandam propter dicendi ampullas incidat. Ita Lucullum laudans, quod bellum Mithradaticum egregie gesserit, tam saepe eum uicisse addit, ut magis noluisse eum ultimam bello manum imponere quam non potuisse adpareret. (2. 33, 1.). Quod si uerum esset, summo opprobrio esset Lucullo. Eodem modo Ti. Gracchus uir nominatur

proposito sanctissimus (2, 2 § 1.). Nihilo minus a bonis desciuisse dicitur et indignatione metuque ad leges omnium statum concutientes ferendas adductum esse. Qua ex re cernitur, Velleium, cum ingenia hominum describeret, saepius ea non tam epithetis, quae dicuntur, additis definiuisse, quam legentem uerborum mole obruisse (Sauppius 160).

Simul autem, id quod aulica uita semper excoli constat, argutiarum est studiosissimus. Quibus quamuis ea, quae narrantur, non mutentur in deterius [5]), tamen color totius operis et iudicia non numquam corrumpuntur (Krausius XIIII.).

Iam uero eo peruentum est, ut de ea re dicamus, qua maculam grauissimam et paene indelebilem Velleius contraxisse putatur. Inde enim a Lipsio a multis saepe animaduersum est, Velleium Tiberio prauissime adulari, neque eo contentum Caesarem Octauianumque praeter merita extollere, imo eo procedere nequitiae, ut maternum Tiberi genus, Liuios, a merita uituperatione uindicare conetur (Ruhnkenius 110. cfr. Norisius, Cenotaphia Pisana p. 92. B. [in Graeui thesauro antiq. et histor. Italiae L. B. 1723. 8, 3.]. Loebellius, de Augusti principatu p. 232. [in Raumeri: histor. taschenbuch 1834] aliique.). Quae macula egregia Sauppi commentatione abstersa uideretur, (cfr. Kritzius XXIIII. et Bernhardyus H. L. R. [1850] n. 502. p. 548.) nisi postea Hoeckius (H. R. 2, 29 [3], 32 [2], 80 [4], 81 [2]) bellum acerrime redintegrare conatus esset. Sauppius autem recte monuit, adulatoris esse, tales res laudibus efferre, quas animo reprobet, quin etiam turpia, ut gratiam captet commodumue obtineat, orationis fuco exornare. Contra Velleium uere admiratione Octauiani et Tiberi adfectum esse, quos, cum iam in Pompei Ciceronis Caesaris laudibus oratoriis calamistris abusus esset, facere non potuisse, quin sine ullo pulcri sensu praedicaret. Quarum certe laudum ineptissimum est, quod Tiberium VII. triumphos meritum esse summa seueritatis specie adfirmat, sed tribus fuisse contentum. (2. 122, 1.). Sed talia scripsisse eum non alia sentientem eo demonstratur, quod se familiamque cum illis artissime coniungere omni modo temptat. Sicuti Capitonem patruum Agrippae in Cassium subscripsisse laetatur (2. 69, 5), cum recte Drumannus (1, 339) iudicet, omnium, quibus illo tempore Octauianus usus esset, accusatores contemptu fuisse dignissimos. Itaque quamquam facile concedo, admirationem Octauiani Tiberique sinceram fuisse, tamen id Sauppio dare non possum, eum adulatoris nomine non esse insigniendum, qui eius uiri quem admiretur maiores laudibus efferat „ratione", ut Sauppius 168. ait, „cognationis habita." Quo circa Drusi laudes sine dubio turpis adulationis arguendae essent, si illum nulla laude dignum esse, inter omnes constaret; imo uel laudes Tiberio tributae adulationis reum eum facerent, si uerum esset, quod nonnullis placet, (cfr. Tillemontius, H. I., 1, 59.) Tiberium monstrum fuisse atque portentum. At ne sic quidem propter Drusi laudem omnem uituperationem Velleius ef-

[5]) Sed ne huius quidem rei exempla desunt. Post pugnam enim Pharsalicam Caesar libentius uitam dedisse, quam uicti accepisse narrantur (2, 52. 6.). Quod manifesto falsum est, partim enim Pompeiani uictori se dediderunt, partim bellum renouare conati sunt. (Cic. Ep. 4, 7. 3) Vnus erat Marrellus qui pertinaci animo Lesbum recederet, Caesaris clementiam aspernatus. (Drumannus 3, 571; 2, 394). Inprimis autem ineptum est, quod 2, 67. 2. inter filios uxores seruos libertos distinguitur, prout uel maiore uel minore fidei erga proscriptos se praestiterint. Accedit, quod serui saepe fallaces uxores infidae filii fidissimi fuerunt. Drumannus 1, 376.

fugit. Inconstantiae enim est, Gracchos reprehensione persequi, Drusum similia temptantem praedicare. Quod unde descenderit, infra clarius elucebit (VIII.).

Attamen ab omnibus, id quod maximi in Vellei animo diiudicando momenti esse arbitror, omissum esse uideo, quod ante quam in Tiberi aula esse coepit, per VIII. annos sub Tiberio in Germania Pannoniaque stipendia meruerat (2, 104. 3.). Militiae autem memoria quamuis aulicae uitae consuetudine magis magisque oblitterata sit, tamen hic illic militaribus moribus adsuetum se praestat. Rei enim militaris peritum eum fuisse (sed ita peritum, ut bonum legatum eum esse eluceat, bonum imperatorem uix futurum fuisse) probatur eis, quae de arte Tiberi bellandi disserit (2, 114 sq.). Nempe ea potissimum praedicat, quae quamuis ad bellum bene gerendum maximam uim habeant tamen magnus imperator eis non efficitur. Studiosum autem remansisse eum rei bellicae eo patet, quod laudans de Hirti Pansaeque consiliis refert, qui Caesari ne exercitum dimitteret suaserint (2, 57 § 1. cfr. Plutarchi Caes. 57 § 4 [Bekk.] Dio 48, 7. Appian. B. C. 2, 109. Drumannus 3, 71 [26]) Contra quas ex magnis exercitibus otiose agentibus oriri possent difficultates, bene sibi erat conscius (2. 81, 1.). In primis autem miiltem produnt, quae de fortunae ui atque in bellis praecipue potentia saepius significat. Vt enim omittam, quae dicendi formulae possint uideri, Fortunam in Caesare mitem, saeuisse ad Orientem; (2. 81, 1. ex Haasi restitutione) maioribus experimentis testatum esse, quantum in omni re fortuna posset (2. 116, 3.): fortunam et uirtutem bellicam ita non nunquam coniungit, ut illam necessarium quoddam boni imperatoris adiumentum esse uirtutique cognatam eum putare efficiatur. Certe fortunae mentione Caesaris (2. 55, 3.) Tiberique (97, 4. 106, 3. 121, 3.) gloriam bellicam tantum abest, ut arbitretur imminui, ut cumulum ei accedere existimet.

Tali igitur uiro et pristino imperatoris commilitoni quin nonnulla et dicere et scribere licuerit, aliis non permissa, dubitari nequit.

III.

Contra num usus sit illa licentia et quomodo usus sit, quaeri potest. Haec autem quaestio in eo maxime uidetur esse posita, ut qualem se praestiterit in discordiis partium describendis et utri parti deditior sit exponatur. Qua in re in utramque partem a Vellei existimatoribus peccatum est. Cum enim alii (Sauppius 170) omnis eum omnino iudici expertem esse censeant, ut de reip. liberae temporibus fere nihil protulerit, praeterquam quod ex ingeniosis sententiarum lusibus proficisceretur, alii, quo in numero praecipue est Krausius, ab optimatium partibus stare eum adfirmant. Est autem (Sauppius 161.) distinguendum inter priora tempora et recentiora, Caesaris Octauiani Tiberi. Caesar enim primus anticum rerum statum ita pessum dedit, ut nemo postea eum redintegrare posset. Quoniam igitur Velleius fidissimus assecla Tiberi erat, qui in Caesaris regnum successit, eum Caesarem quoque admirari consentaneum erat. Aduersarii autem et Caesaris Pompeius et Octauiani Antonius Lepidus S. Pompeius diuersa ratione tractantur. Etenim Pompeium, cum iam Caesar mortuum deflesset, (Dio 42, 8) posteriores imperatores omnibus modis extollendum sibi sumebant. (Tac. an. 3, 72.) Quo factum est, ut qui aulici iudici

semine alti essent, reip. liberae contra principatum eum propugnatorem putari obliuiscerentur atque in uirtute eius rebusque praeclare ab eo gestis laudandis summo studio uersarentur. Sed in Antonio alia res. Qui tempore illi aetati propior erat, nec pro republica pugnasse uidebatur, imo Aegyptiorum auxilia contra populum Romanum euocasse.

Contra qualem priorum temporum existimatorem se praestiterit Velleius, ualde potest dubitari. Nam cum eo, quod Caesar popularium partium fautor exsisteret easque omnibus modis adiuuaret, factum sit, ut reip. liberae forma disiceretur: sane subit admiratio, quod partium optimatium quam popularium studiosior Velleius uideatur. Ita Gracchorum seditionem ex furore quodam profectam esse dicit (2. 6, 1.), quo accensi a bonis descisceremt (2. 2, 2.); gloriae sexto Mari consulatui cumulum accessisse oppressis Glaucia et Saturnino (2. 12, 6.); deinde L. Mummi C. Mari M. Ciceronis nouitas commemoratur (1. 13, 2. 2. 12, 5. 34, 3.). Attamen facile elucet, ne omnia quidem, quae a nobilitate perfecta sunt, eum laudibus persequi. Reprehenditur Seruilius, qui fraude, non uirtute Viriathum interfecerit (2. 1, 3.), in duces inuehitur, maxime Pompeium, qui propter inscientiam debellare non potuerint, sed ad turpissima foedera a Lusitanis deducti sint (2. 1, 4.), notaturque Senatus, quod solum Mancinum tradere uoluerit, Pompeium gratiae caussa inpunitum dimiserit (2. 1, 5.); deinde Gaium Gracchum atroci scelere trucidatum esse dicit, Fului Flacci fili necem facinus unicum fuisse (2. 7, 1.). Sullae denique proscriptiones acerbissime exagitantur (2. 17, 1; 22, 1. 25, 3. 27, 5. 28, 2.). Haec cum de singulis nobilibus uiris proferat, nobilitatis ipsius facta non minore ueritate diiudicat. Ita bellum cum Karthaginiensibus tertium non ex eis ortum esse dicit, quae falsa de Karthaginiensibus circumferrentur, sed quod deleri Karthaginem utile uideretur (1. 12, 2. Appian. Pun. 74. ἡ δὲ βουλὴ πάλαι διεγνωκυῖα πολεμῆσαι καὶ προφάσεις ἐρεσχελοῦσα). Non aliter nobilitas uituperatur, propterea quod et iniuste (2. 15, 3) et sine utilitatis intellegentia (nam ad summum discrimen respublica perducta esse dicitur [2, 16 extr.]) sociis Italicis ciuitatem denegauerit (cfr. Florus 3. 18, 3. [2, 6. 2. Hlm.] Boeclerus p. 473.). Denique postrema liberae reipublicae aetate a prisca morum castitate nobilitatem degenerauisse, si non diserte exponitur, certe dilucide significatur (2. 26, 2.). Nam etiamsi in Cinnam acerrime aliis locis inuehitur, tamen contra leges consulatum ei ex senatus auctoritate abrogatum esse rectissime iudicat.

Omnino autem, siquod est nobilitatis partium studium, facilem illud habet explicatum. Dubium enim non est, quin admiratione summa antiquam morum simplicitatem describat. Quae in uniuersum saepius collaudatur (1, 13. 5. 2, 10. 1.) ita, ut mores ipsius Tiberi aetatis opponantur; quin etiam fit, ut talia praedicentur, tanquam quae Romanos mores distinguant, quae uere fines excedant uel Romanae pertinaciae. Sic M. Popilio Laenati Romana constantia tribuitur, qui Regem Antiochum rudi et sermone et gestu perturbauit (1. 10, 2). Multo rectius ex cetera eius animi asperitate illud repetit Liuius (45, 12.). Haec autem morum simplicitas cum apud nobiles pristini temporis maxime elucesceret, eorum constantiam Velleium, quam profani uolgi contentiones maluisse, consentaneum est.

Sed quod Sauppius 169. exponit, Velleium, qui et anticum reip. statum admiraretur et nouam laudibus efferret, nullo modo animaduertisse, quam non possent haec inter se conciliari, id et libenter largior et haud difficulter puto expediri. Etenim pristinam reip.

formam ab illius temporis uehementer discrepare omnino non sentit. Namque inter summas Octauiani laudes id quoque refertur (2. 89, 2.), quod priscam illam formam reuocauit. Quod num uere senserit, cum de Octauiani laudibus illa una dempta nil sane deminuatur, non dubitandum esse existimo. Id autem ipsum eo confirmatur, quod inter Scipiones, qui a Laeliis adiuti „fortunam suam" gubernauerint (2, 127. 1.), et inter Coruncanium Catonem Mummium Ciceronem, qui priore tempore eminentes in republica fuerint, atque inter Octauianum et Tiberium non ita magnam fuisse differentiam statuere uidetur. Quamquam prorsus eos aequari non dixerim (Sauppius 159.).

IIII.

Sed tamen ista et iudicandi et narrandi leuitas non eadem est per totum opusculum. Etenim qui libellum perlegerit, priore parte rerum modo summam adtingi, posteriore res fusius enarrari intelleget. Quod non difficilem habet explicatum. Velleius enim ipse testatur, se uniuersum illud tempus, quod est inter bella ciuilia atque Tiberi regnum, scriptione sibi sumpsisse inlustrandum. Hoc in opere (sive plura opera futura erant: Sauppius 143. Kritzius XV.) a quonam tempore initium scribendi facturus fuerit, existimari potest consideratis eis uerbis, quibus primum de consilio nos edocet, 2. 48, 5. Vbi postquam de Caesaris Pompeique discordia deque Curionis consiliis disseruit, haecce adicit: *Harum praeteritarumque rerum ordo cum iustis aliorum uoluminibus promatur, tum, uti spero, nostris explicabitur.* Adparet igitur, eum ante omnia bellum ciuile alterum historia conplecti uoluisse, praemissis eis, quibus illud et ortum et fotum esse uideretur. Neque tamen illas belli ciuilis caussas altius Velleium repetiturum fuisse, probabile est. Quamquam enim ea, quae renouato triumuiratu effecta sunt: Pompei Crassique consulatum, prorogatas Caesari prouincias, Crasso decretam belli Parthici administrationem pluribus exponit, Lucae eos conuenisse, adcurrentibus principibus reip. uiris, silentio praetermittit (2. 46, 1 et 2. cfr. Plut. Caes. 21, 2. Appian. B. C. 2, 17. Drumannus 3, 263.). Praeterea Velleius de Delmatiae finibus regionum situ fluminibus nationibus (2. 96, 3.), de luctu ciuitatis Tiberio Rhodum discedente (99, 2.), de gaudio adoptato Tiberio (103, 4.), de Delmatis Pannoniisque deuictis (114, 4.), de Variana clade (119, 2.) in illo maiore opere disputaturus erat. Quae omnia disertis uerbis adfirmantur, ut nil dubii uideatur relinqui, quin Velleius uere illud opus aliquando conscribere instituerit. Contra Sauppius 143. uniuersum hoc consilium omnino eum serio animo uoluisse negat. Sed inter scribendum ex repentino quodam animi impetu illud ei adrisisse, quod postea omiserit. Quam opinionem etsi Sauppius Vellei animo adcommodatam esse adfirmat, tamen non puto eam apte conciliari posse et cum commemoratione illius consili totiens repetita, et cum eo, quod alterum opusculi partem ex maiore rerum cognitione profectam esse manifestum est. Multo enim audacius atque ita, ut res ei notiores esse adpareat, rerum ordinem describit. Quod tunc praecipue animaduertitur, cum non nulla, priusquam temporis serie ad ea deducitur, inserit. Ita fit in depingendis Pompei Magni moribus, ut non posse mirum uideri exponatur, quod uir talis Caesaris aemulationem in secundo consulatu petendo non sustinuerit (2, 30. 5.). Idem fere cadit in prouinciarum

enumerationem (2, 39. 2 et 3.). Vbi postquam de Galliis a Domitiis Caesareque perdomitis et de Bithynia Numidia Cilicia factis stipendiariis expositum est, Octauiani et Tiberi in Hispania et Delmatia bella praecipiuntur. Similem in modum Ciceronem in exsilium missum esse deplorat et continuo eum reuocatum esse addit. Postea demum Catonem qui paullo post Ciceronem Roma cessit, in Cyprum relegatum esse adiungit (2, 45. 3 et 4.). Quo in numero omnia ea ponenda sunt, quae supra (I.) commemoraui pragmaticae scriptionis uestigia.

Ex his igitur omnibus conligitur, Vellei opusculum in duas partes esse dispescendum, quarum altera, leui et quasi fugitiuo calamo exarata, usque ad primum triumuiratum Lucae renouatum res describantur, altera ea exponantur, quae siue ex intentioribus studiis hausta siue ab ipso scriptore spectata maiorem rerum scientiam exhibeant.

V.

Vt tamen quanta Velleio fides adtribuenda sit, diiudicari possit, necesse est, quos fontes in enarranda historia secutus uideatur, breuibus exponere. Qua in re tenendum est, Velleio, qui maius opus moliretur, diligentius posterioris temporis fontes perscrutandos fuisse. Sed non nunquam, ut eius quod describeret temporis res clarius perspicerentur, descendendum ei fuit ad antiquitatem peruestigandam. Attamen ualde mihi ii errare uidentur, qui Velleio perfectam litterarum et Graecarum et Romanarum cognitionem fuisse adseuerant. Cuius opinionis testimonia Krausius XXI. adtulit 2, 69. 4 et 123. 2. Nam quod in Vatinio dicit corporis deformitatem cum ingeni turpitudine certauisse, ut animus dignissimo domicilio inclusus uideretur, et quod Augustum morientem in sua resolutum initia narrat, ex eis, dogmata philosophorum Graecorum eum perdidicisse conligit. Sed haec uerba nihil sunt, nisi formulae dicendi, iusto illae quidem magnificentiores, neque tamen ex Pythagoreorum uel Academiae ludis repetendae. Illa autem doctrina non unius Socratis fuit, sed uniuersae antiquitatis. Attamen Velleius philosophiae, quae dicitur, eclecticae, qualem Ciceronis in primis scripta suppeditarent, expers fuisse non putandus est. Quae et aulae usui optime conueniebat, litterarum splendoren adfectantis, et facillime hauriri potuit. Ciceronem autem non sine animi intentione a Velleio perlectum esse, eo quod saepius scribendi eius rationem imitatur edocemur. (cfr. Ruhnkenius ad 1. 16, 4 p. 65. 18, 1 p. 72; 2. 32, 1 p. 179. 34, 3 p. 189. 35, 5 p. 195. 40, 4 p. 212. 64, 3 p. 127. Kritzius XVIIII.) Sed quod magis facit ad propositum nostrum, dubitari non potest, quin saepe Velleius iudicia, quae de pristini temporis uiris fert, ex Ciceronis scriptis repetierit atque colorem totius orationis ex eis expresserit. Quorum hoc aperte factum est, ubi Caesaris interfectoribus praeteritarum rerum obliuionem concessam esse refert (2. 58, 4.); illud in Vatinio describendo animaduertitur (2. 69 4; cll. Cic. in Vat. § 4. § 39. ad Att. 2. 9, 2.); maxime autem elucet ex eis, quae de Ti. Gracchi seditione narrantur. Illum enim Velleius dicit propterea a bonis desciuisse, quod grauiter ferret, foedus Numantinum a Mancino ipso intercedente initum a Senatu improbari. Prorsus eodem modo Cicero de Grachi tumultu iudicat (Brut. § 103. de har. resp. § 43.). Quod etiam cadit in C. Gracchum.

Praeter Ciceronem Salustium Liuiumque imitatione a Velleio expressos esse, saepe dictum est atque multis locis conprobatur. (cfr. Ruhnkenius 1. 9, 5 p. 35.) Ad eorum autem similitudinem non solum scribendi genus eum conformasse, sed etiam rerum notitiam ex scriptis eorum sibi comparasse, probabile est. Quanquam hoc in Salustio, cuius historiarum maxima pars interierit, non potest satis certo demonstrari. Atque a Liuio saepenumero discrepat. (Sauppius 147.) Sunt tamen, quibus Liuium eum hic illic uel in rerum enarratione secutum esse ueri fiat simile. Quod maxime manifestum est in eo tempore enarrando, quo bellum contra Perseum gestum est, quoque Fuluius Flaccus et Postumius Albinus censores fuerunt. Etenim etiamsi Liuius 45, 40. milies ducenties H. S., Velleius (1. 9, 6.) bis milies centies a Paullo in aerarium depositum esse tradit[6]), tamen Liui eum historiam ante oculos habuisse, non tam ex similitudine, quam ex uitiis, quibus eam corrupit, manifestum uidetur. Ac similitudo quidem maximo opere in eis cernitur, quae de censura Flacci et Albini ita tradit, ut consortis uerbum apud utrumque usurpetur. (V. 1. 10, 5. Liu. 41, 27.) Deinde apud Liuium (45, 41.) cum Paullus de rebus a se gestis deque luctu domestico uerba facit, se optasse, dicit, ut mutationem, siqua futura esset, fortunae ipsius domus potius quam respublica sentiret. Quae res ita non sine caussa a non nullis scriptoribus (Plut. Aemil. 36, 4. Val. Max. 5. 10, 2. Scriptor de uir. illustr. 56.) refertur, ut Paullum illud a diis precantem faciant. At Velleius Paullum tradit, in ipsa oratione, quam ante triumphum haberet, illas uoces fudisse. Quae narratio (1. 10, 4.) aperte eo orta est, quod orationem, quam post triumphum imperatores habere solebant, cum precibus, quibus ante triumphum se Iouem Mineruamque apud Liuium adisse dicit, Velleius commiscuit.

Neque uero est dubium, quin Velleius raro tantummodo Liuium secutus sit. Attamen ipse saepenumero testatur, se diuersorum auctorum opiniones pensitasse (1. 7, 2. 8, 5.[7]) 15, 3.) aliorumque sententias refutare conatur (2. 4, 7.[8]) 23, 4. 32, 6.). Et alios etiam eum scriptores ante oculos habuisse ex eis consequitur, quae de Byzantio a Milesiis condito diuerse a ceteris omnibus memoriae prodidit[9]). Disertis autem uerbis de Catonis tantum Hortensique operibus disputat. Alios uero praeter Salustium et Catonem rerum scriptores ne ibi

[6]) Aliam etiam summam fuisse dicit Plinius H. N. 32. 3, 17. (Hard.) Nec tamen Vellei numerum ita propter neglegentiam e Liuiana corruptum esse improbabile uidetur, ut numerus II. falso loco interponeretur.

[7]) Quod autem errauit h. l. Velleius atque cum ueritatis damno a Liuio (32, 39. 34, 35.) discessit (Sauppius 149.), nil ad fontes studiaque.

[8]) Hoc tamen loco non minus errauit. Nam quod Aemilianum dicit LVI. annos natum esse interfectum, id ab omnibus conceditur. Sed id ita effici non potest, ut Scipio dicatur anno XXXVI. consul creatus esse. Nam cum a. 607. consul factus sit, anno 625. interfectus XVIII. annorum spatium inter consulatum mortemque est. Itaque annum trigesimum octauum agentem eum consulem creatum esse sequitur. cf. Puteanus 695 sq.

[9]) 2. 15, 1. R. (7, 5. Haas.) Nam Stephanus Byz. s. u. (p. 124 ed. Holst. etc. Li. 1825.) a Megarensibus Byzantium conditum esse scribit. (cfr. Berthelius ad h. l. 3 p. 503.) Idem tradit Scymnus Chius 717: *ἑξῆς Μεγαρέων εὐτυχῶν Βυζάντιον.* Ammianus (22. 8, 8.) Atticorum urbem facit coloniam. (cfr. Wagnerus ad h. l. p. 453.) Falso tamen mihi Ruhnkenius ex Strabonis 14, p. 941 (c. 6 Kr.) *μέγιστον δὲ τὸ πλῆθος τῶν ἀποικιῶν, ὅ τε γὰρ Εὔξεινος πόντος ὑπὸ τούτων (τῶν Μιλησίων) συνῴκισται πᾶς καὶ ἡ προποντίς* ueram Vellei sententiam esse uidetur conligere. Nam quae coloniae a Milesiis in illa regione conditae sint, statim a Strbone enumeratur.

quidem adfert, ubi claros et poetas et oratores Romanorum recenset; sed ueteres prioris temporis scriptores dicit et obscuros. Quorum, etsi nomina addidisset, posset tamen etiam esse dubium, utrum uere diligenter eos inspexisset, necne. (1. 17, 2.) Veri autem est simillimum, eum in rebus externis depingendis Trogi Pompei historiis esse usum. (Kritzius XXXVIII.) Quod haud scio an concludi possit Iustino 34. 4, 10. comparato cum Vellei uerbis, quae sunt 2. 4, 1. Hic enim manifesto errauit, qui Aristonicum a Perperna in triumpho ductum esse narraret; nam Perperna Romam decedens ex prouincia mortuus est. (Appian. Hisp. 60.) Iam uero Iustinus e Trogo refert, M. Aquilium, Perpernae successorem, ut Aristonicum huic, qui captum eum teneret, eriperet, festinasse *„uelut sui potius triumphi munus esse deberet."* Quae dicendi formula, sine dubio a Trogo petita, festinantem lectorem eo potuit inducere, ut nihilo minus et Perpernam triumphum duxisse et Aristonici eum praesentia exornatum esse opinaretur.

Praeterea rectissime Kritzius suspicatur, Velleium Attici scripta si non secutum esse certe ante oculos habuisse. Nam quae de illo tradit Cornelius Nepos (Att. 18, 1.), eum in operibus difficillimam rem adgressum esse, ut uniuscuiusque clari uiri propagines familiarumque originem subtexeret, eadem in Velleium cadunt. (Sauppius 159.) Qui diligentissime animaduertit, quae inter uiros claros nobilesque cognatio intercesserit, praesertim si adoptione et adgnatio et nomen mutata sunt. Sic Ti. Gracchi originem (2. 2, 1.), sic Scipionis Nasicae et cum P. Africano et cum Gracchis cognationem (2. 3, 1.), sic Fului Flacci et Manli Acidini (2. 8, 2.) explicat; sic gentem Domitiam describit, et paullo post Caeciliam (2. 10, 2 et 3.); sic Sullam a Cornelio Rufino ortum esse commemorat (2. 17, 2.), dubitat, quot Pompeiorum fuerint familiae (2. 21, 5.), qui primus ex gente Pompeia consul factus sit nomenque matris Gnaei Pompei adfert (2. 1, 4; 29, 2.), Caesaris (41, 2.) Octauianique (59, 2.) stemma depingit, denique non sine laetitia quadam in ipsius maioribus, qui fuerint, definiendis uersatur (2. 16. 2.). Neque uero in his gentium Romanarum descriptionibus tempora distinguenda esse puto. (IIII.) Sed enim eorum uirorum, quorum in genus ut inquireret, maioris illius operis praeparatione adduceretur, stemma diligentiore cura depictum esse, per se diluicidum est. At eorum ipsorum stirpes saepissime ad summam antiquitatem adscendunt. Itaque quoniam in illo maiore opere et Scipionis Nasicae, Pompei Magni soceri (2. 54, 3.), et Scipionis, Iuliae adulteri (2. 100, 5.), mentio inicienda erat, sine dubio illorum maiores optime enumerare potuit. Idem in Domitios cadit (2. 72, 3. 84, 2.) et Metellos (2. 34, 1.) et Pompeios. Huc illud quoque pertinet, quod saepius res paruas ab eis gestas narrat, qui e talibus gentibus orti sunt; sic D. Bruti in Hispania imperium descritur (2. 5, 1.), Metelli ad Contrebiam fuga (ibid. 2.), quaestio de repetundis in C. Catonem instituta (2. 8, 1.).

Si ergo considerauerimus, Velleium et per se genealogiae, quam dicunt, fuisse studiosum, et uiros, ex illis quas describeret gentibus ortos, personas in illo maiore opere non nullius momenti acturos fuisse, magnam ei hac in re fidem concedere non dubitabimus [10].


[10]) Attamen ne in hac quidem stemmatum descriptione leuitatis notam ex omni parte effugit. P. enim Nasicam Ti. Gracchi consobrinum fuisse refert, quo inuidia interfectionis augeatur. (2. 3, 1.) Sed Gracchus erat filius Corneliae, P. Africani maioris filiae. Is autem filius erat P. Scipionis, qui in Africa

His igitur e fontibus scientiam Velleium hausisse probabile est. Sed Krausius XXVII. eo processit uenerationis, ut Velleium non scriptorum narrationes tantum, sed documenta etiam ipsa, ab eis qui res gererent profecta, inspexisse coniceret. Cuius opinionis testimonia protulit uerba pacis cum Mithradate a Sulla initae (2. 23, 6.) et edictum a Bruto Cassioque, priusquam ex Italia discederent, publicatum (2. 62, 3.). Ac uerum quidem est, uerba illa pacis, quibus Sulla Mithradatem *„paternis id est Ponticis finibus"* contentum esse iubet, (cfr. Rhunkenium ad h. l. p. 144.) integram dicendi rationem, qualis Romanis in usu fuerit resipere et eodem modo Appianum (Mithr. 55.) uerba tradere: καὶ στέργῃ μόνης ἄρχων τῆς πατρῴας δυναστείας. Sed tamen quanquam Velleius omnes pacis condiciones recte exponit, tamen non ita exponit, uti factae uidentur. Qua in re omittam, Archelaum cum Sulla de pace egisse, postea Mithradatem illius conuenta rata habuisse (Appian. 55, 58 p. 727. Schweigh.). Id quoque recte Velleius, Mithradatem a Sulla parte nauium mulctatum esse, cum Appianus (55.) omnem classem tradere coactum esse narret. Quod aperte falsum est. Nam Plutarchus (Sull. 24, 3.) diserte narrat, stipulatum esse Sullam, ut LXX. naues Mithradates traderet; eaque res eo confirmatur, quod ab aliis LXXX. naues postea Romanos poposcisse contra pacta conuenta memoriae proditur (cfr. Dio fr. 173, 1. p. 172. Sturz.; Drumannus 2, 453[16].). Sed quod Velleius pro LXX. nauibus partem nauium posuit, quodque pecuniae nomine nuncupat duo milia talentorum, quae Mithradates in belli sumptus dedit: eis probari puto, tale documentum eum ante oculos non habuisse.

Peius etiam Krausio res cessit, cum Velleium Bruti Cassique edictum ipsis percussorum uerbis attulisse adseueret. Velleius enim non uno de edicto disserit, sed cum plura edicta publicarentur, *testatos esse edictis* coniuratos narrat, quid uellent, priusquam *ex urbe Italiaque* secederent. Sed Brutum et Cassium non, simul atque ex urbe eiecti essent, Italiam quoque reliquisse, inter omnes constat. Attamen ut Velleius non breuibus conprehenderit, quae pluribus edictis continerentur, atque ut unum quoddam significauerit, improbabile est, eum denotare aliud atque illud, quod prid. non. Sext. coniurati publicauerint, priusquam ex Italia digrederentur. (Cic. Ep. 11, 3. Phil. 1 § 8.) Nihilo tamen setius, ut ea omnia, quae illo continebantur, nedum singula uerba rettulerit, multum abest. Nam quod ipsi coniurati diserte dicunt, aliquid se edicto postulasse (cfr. Drumannus 1, 142.), de eo nil Velleius; deinde non posse se terreri ab Antonio adfirmant, (Cic. Ep. 11, 3. § 3.) cum contra Velleius eos nunc metuentes nunc inuidentes cessisse Italia dicat.

His igitur, quae disputaui, effecisse mihi uideor, Velleium neque ab omni fontium cognitione fuisse alienum nec ultra solitum in eis uersatum.

cecidit, fratris Gnaei Scipionis, a quo Nasicae originem duxerunt. Cuius Cn. Scipionis pronepos ille Nasica fuit, qui Gracchum interemit. (cfr. Schegkius p. 683.) Quod clarius etiam elucebit stemmate, quod infra scripi.



Nasica igitur et Gracchus octauo gradu erant, non consobrini, qui sunt quinto § 5 de grad. cogn. 3, 7.

Pars altera.

VI.

Iam eo perducta disputatio est, ut quid in singulis temporibus describendis Vellei narratio ualeat, considerare possimus. Qua in re et temporis ordo et maxime singulorum, qui in quoque eminebant, uirorum ingenia obseruanda sunt. Cum enim Velleius ita scribere soleat, ut uiros, quales fuerint, ante omnia describat, deinde quas res gesserint adiungat, facile res procedet, si eminentissimum quemque aetatis, qualem Velleius depinxerit, qualisque uere fuisse uideatur, ceteris adiectis, qui minoris momenti uidentur, contemplabimur. Nec tamen omnia, quae Velleius memoriae tradidit, ita uidentur examinanda esse, ut cum eis, quae alii de isdem rebus scripserint, singillatim comparentur. Sed de eis tantum disserendum est, quibus quaedam Vellei propria continentur.

Atque in eis quidem, quae ante Romam conditam euenisse narrantur, considerandis non est operae pretium diutius commorari. (Sauppius 145 sq.) Nam de Ione, qui Iones in Asiam dicitur duxisse (1. 4, 3.), nil addendum est, nisi post tot tantaque conamina nihil nobis relicui factum esse. Non maioris sunt momenti, quae de Roma Parilibus condita de asylo de patriciis trita ac uolgaria narrantur. Quod autem Kritzius (XXXXI sq.) sagaciter exposuit, Velleium aeram, quae dicitur, Catonianam cum Varroniana confudisse, ut nunc hanc nunc illam in definiendis annis per neglegentiam sequeretur, id summam habet ueritatis speciem. Narrat enim Velleius (1. 8, 4.), Romam conditam esse sexta olympiade post XXII. annos h. e. nondum uiginti tribus annis post Olympia condita expletis. Cum autem olympiades ab anno 776. a. Chr. natum numerari coeptae sint, sequitur Romam conditam in a. 753. incidere. Atque ita Varro statuit. Contra Cato a. 751 a. C. conditam esse urbem censet, cum urbis initium Olymp. VII, 1. ponat. Sed Kritzius has aeras Velleium confudisse ut demonstret, ualde fragili utitur argumento. Etenim quod ille (1. 14, 6.) Sabinis Curio et Rufino coss. ciuitatem sine suffragio datam esse dicit *„abhinc annos f e r m e CCCXX.“* (nam ita bene pro CCCXXX. correxit Burerius) id etiamsi Varronianam aeram hoc loco secutus est, sine dubio recte dicit. Curi enim consulatus incidit non in a. 463., ut Kritzius putat, sed in a. 464. (Petrus, tab. hist. Rom. 42[37]. Mommsenius, H. R. 1, 353.) Vinicius autem secundum aeram Varronianam consul fuit anni 783. Itaque recte anni efficiuntur CCCXVIIII., qui sunt anni *ferme* CCCXX. Argumentis vero ceteris ex Laurentio petitis Kritzius euincit, Velleium aeras commiscuisse.

His igitur omissis transiri potest ad ea, quae post lacunam operis de Perseo narrantur. Qui postquam feliciter per duos annos bellum gessit (1. 9, 1.), a Lucio Paullo ad Pydnam deuictus est. Ita quidem Velleius. Sed Perseus ante, quam Paullus uenit in Graeciam, L. Licinium Crassum ad Peneum superauit (Liu. 42, 59 sq.) a. 583., A. Hostilium equitum pugna uicerat a. 584. (Plut. Paull. 9, 3.), quo Epirus eo adducta est, ut ad Romanos deficeret (Polyb. 27, 13.), denique a. 585. L. Philippus temere montes transgressus in Macedonia ad summum discrimen adducitur (Liu. 44, 1-13.). Per triennium igitur ante Paulli aduentum in Graecia pugnatum est, ita tamen, ut L. Philippus primus in illo bello aliquid proficeret (Mommsenius 1, 745 ed. 2.). Velleius igitur hoc dicere uoluisse putandus est, per biennium improspere rem esse gestam, tertio anno aliquid esse profectum, quarto debellatum. (cf. Lipsius 589.) Perseus post pugnam Pydneam in Samothracas fugit, ubi ab Octauio praetore ei persuadetur, ut Romanis se dedat. At uere non persuadente Octauio, sed cogente Romanis se dedidit. Nam Octauius edixerat, omnes, qui ad Romanos transirent, incolumes fore (Liu. 45, 6.). Qua re, incitati etiam eo, quod Euandrum amicum rex timoris caussa interfecerat (Liu. 45, 5.), omnes praeter Philippum filium Perseum deserunt; ideoque omni auxilio destitutus, Romanorum gratiam implorare cogitur. Neque uero est, quod Liuio diffidamus rem adcuratissime narranti. Deinde Velleius definire omittit, quid acciderit post Paulli uictoriam Macedoniae. Sed postea (2. 38, 5.) Paullum dicit in prouinciae foream redegisse. (XV.) At quod Paullus a Velleio praedicatur (1. 9, 3.), quippe qui uera uirtute inter aequales emineat, non est cur miremur.

Redintegratur autem bellum Macedonicum, cum Pseudophilippus, regiam stirpem mentitus[11]), Macedoniam denuo occupat. Sed et ille superatur et Graeci seditiosi funduntur a Metello. Quas uictorias, ut Metelli felicitas magis inlustretur, maioris uirtutis documenta fuisse significat (1. 11, 2. 12, 1.), quam uere uidentur fuisse. Nam in pugna cum Andrisco commissa eo facile uictoria parta est, quod illius exercitus discordia laborabat; (Mommsenius 2, 38.) Graeci autem et Critolaus, eorum dux, fugere, quam resistere malebant (Pausanias 7, 15 § 3 Sieb.). Bellum deinde Achaicum sepultum est a Mummio, qui Corinthum funditus deleuit (1. 13, 1.). Transit iam Velleius ad bellum Karthaginiense tertium enarrandum Scipionisque mores describendos, quos apte cum Mummio comparat. Atque quamuis dubitari possit, num Velleius quid ualeret Scipio prorsus perspexerit, tamen cum et belli et pacis dotibus eum praestitisse ingenioque seculi illius facile principem fuisse dicat, nec plus nec minus iusto eum adferre, certe largiendum est.

Quae hoc loco inseruntur de coloniis a Romanis deductis ita a Maduico Sauppio Zumptio inlustrata sunt, ut diligentius ea considerare supersedere possimus. Facile autem elucet, Velleium alios, ac Liuium, fontes secutum, saepe cum ueritatis damno a Liuianis discessisse. — Sequitur de poetis et oratoribus et Graecis et Romanis breuis notitia, de qua quid statuendum uideretur, supra significauimus. (V. 13.)

[11]) Recte Velleius filium regis Andriscum non fuisse statuere uidetur; cfr. Liu. 49. Flor. 2, 14 (1, 30.) § 3. contra Pausanias 7. 13, 1 p. 187. (Sieb.) eum ex pellice natum esse dicit.

VII.

Gracchorum seditio a Velleio ita tractatur, ut sine ullo partium studio et leges ab illis latas enumeret, et mortem eorum describat, imo, cum plures exstent mortis Ti. Gracchi descriptiones, Velleius minus optimatibus fauorabilem secutus uidetur esse. Mores autem ingeniumque utriusque Gracchi meritis laudibus extolluntur. Deinde Ti. Gracchum narrat omnibus Italicis ciuitatem esse pollicitum agrariasque leges tulisse, omnium statum concutientes. Quorum illud postea confirmatur (2. 6, 2.), ubi Gaius, longe maiora et acriora fratre repetens, omnibus Italicis dare ciuitatem temptasse dicitur. Sed illam legem uere a Tiberio latam esse neque ullus alius rerum scriptor commemorat, neque omnino probabile est, talem totius reipublicae conuersionem eum adpetisse. Sed cum semel illa de ciuitate lex cotidie illis temporibus imminere uideretur, cumque iure sociis ciuitatem denegari non amplius posse, ab omnibus intellegeretur, illud ipsum omnes nouarum rerum studiosos moliri non iniuria suspicabantur. — Porro hac in narratione Velleius non distinxit, bis comitia de lege agraria habita esse ita, ut prioribus Octauius intercederet, Tiberius rem senatui denuo exponeret, ab eoque repulsus tenacior etiam propositi fieret: alteris autem primum de tribuno pl. contra ipsius plebis commoda quid molientem lex perlata est, deinde lex agraria confirmata. (cfr. Nitzschius, Gracchi (Berol. 1847.) p. 307-310.) Tiberi hic statim mors neglegentissime adiungitur. Lege enim agraria lata de agro Pergameno dissensiones iterum ortae sunt. Neque uero optimates, quo minus lex agraria sanciretur, impedire conati sunt, sicuti ex Vellei (2. 3, 1.) narratione conligi possit, sed quo minus Tiberius alterum tribunatum adsequeretur. Quamquam autem Nasicam summis laudibus effert, tamen quae de Gracchi interfectione refert longe turpiora sunt nobilitati, quam quae Plutarchus et Appianus. (Nitzschius 439.) Plutarchus enim narrat (Ti. 16-19.), Tiberium, ubi certior factus esset, senatores inuito consule (18, 2.) ipsum interficere uelle, se et amicos armauisse, ut illis resisteret. Appianus (B. C. 1, 15.) Tiberium in comitiis signum facit dantem. Quo facto statim optimatium adseclas expulsos esse. His omnibus de rebus in neutram partem quidquam Velleius. Contra Plutarchus, alioquin fauorabiliora Graccho narrans, (Nitzschius 440.) Nasicae factum minus turpe fuisse describit. Nam in Senatu, quo perlatum esset, Gracchum adfectasse regnum, (ὅτι αὐτὸς ἑαυτὸν ἐς τὸ μέλλον δήμαρχον ἄνευ χειροτονίας ἀποφαίνει) censuisse eum refert (19, 3.): uideant consules tyrannumque tollant [12]). Cui cum consul pariturum se esse negarit, Nasica ceterique, fustibus armati, Gracchum trucidant. Itaque Nasica non prius ea quae bona esse duxit perpetrauit, quam consul, qui tumultum posset inhibere, nihil uiolenti se facturum esse, palam professus est. (Nitzschius 326. Peterus, H. R. 2, 16.) Contra apud Velleium Nasica nulla, ut uidetur, cogente necessitate statim in Grachum ingruit.

Multo etiam minus ordinata sunt ea, quae Velleius de Gai tribunatibus refert. Tametsi paene ridiculum uidetur, eum, quod dolo malo alia uera esse senserit, alia narrauerit arguere. (Nitzschius 452.) Primum enim, quicunque Vellei neglegentiam cognouerit, intelleget, nil ei esse usitatius, quam quae tempore priora sunt postponere. Deinde cum leges

[12]) Verba ipsa Plutarchi adscribo: *τὸν ὕπατον τῇ πόλει βοηθεῖν καὶ καταλύειν τὸν τύραννον* Nam Mommsenius 2, 88. haec ita uertere non dubitauit: perduellem continuo esse interficiendum; der hochverräter müsste sofort getötet werden!

Gai enumeret (2. 6, 2 et 3.), non quos habuerit progressus seditio depingat, (qua re etiam explicatur, cur primi alteriusque tribunatus leges Velleius non distinguat; quod in altero esset grauissime uituperandum) facile eam legem primam ponere potest, quae et ei et nobis maximi uidetur momenti. Quocirca non puto, satis sibi constare, quae Nitzchius (452 sq.) ad confusam Plutarchi narrationem explicandam de duobus eius fontibus ex Velleio coniecerit. Ea uero, quae de differentia, quam possumus animaduertere esse inter Liuium Velleium Plutarchum Appianum, exponit, uerissima sunt, ut diligentius ea de re disputare supersederi queat. Illud unum sufficiat dixisse, etiamsi a fontium testimonio discesseris, qui Vellei narrationi omnino repugnant, uel per se non uideri probabile, Gaium primo loco de ciuitate Italicorum legem tulisse. Eo enim continuo in odium optimatium incurreret necesse erat. Nec ueri simile est, eum pro summa, quae in eo esset, sagacitate, ante hanc legem tulisse, quam ueteres ciues aliis legibus sibi deuinxisset.

VIII.

Iam uero de M. Liuio Druso dicendum est, (2. 13, 14.) in quem inuehi cuiusque laudum caussa Velleium acerrime uituperare solent. (II, 7.) Et uere Velleius uidetur esse uituperandus, non quia laudauit Drusum, sed quia tam male laudauit.

Ac primum quidem, quae de ingenio moribusque Drusi Velleius disseruit, quin uera sint, uix quisquam in dubium uocabit. Nam quae ab Aurelio Victore, qui dicitur, (uir. ill. 66.) in eum conuicia ingeruntur: eum pecunia corruptum Magulsum, Mauretaniae principem, Boccho prodidisse, Caepioni minatum esse, se istum de saxo Tarpeio praecipitaturum, consuli in comitiis collum obtorsisse, ut sanguis e naribus efflueret: ea partim inceredibilia sunt nec a quoquam alio confirmantur, partim nihil probant, nisi trucis et superbi animi eum fuisse. (cfr. Val. Max. 9. 5, 2.) Talem autem uirum, nobilissimo loco natum atque partium senatus antea, ut uidebatur, tenacissimum, optimatium consilia adeo deserere, ut ad ciuitatem sociis dandam delaberetur, ea res tam mirifica uisa est rerum scriptoribus, ut sua quisque uia ingressus componere eam atque ordinare temptarent. Velleio autem male hercules res contigit. Narrat enim Drusum uoluisse senatum in anticum statum restituere. Itaque (P. Rutilio in primis iniustissime condemnato) iudicia ei reddit. Sed in eis ipsis, quae faciebat pro senatu, senatum habuit aduersarium, quippe qui non intellegeret, illa inescandae multitudinis caussa fieri, ut minoribus a senatu plebi concessis, maiora a plebe senatui concederentur. Tum dicit conuersum Drusi animum ad ciuitatem sociis dandam. Quod quo minus perficeret ab interfectore eum esse prohibitum. Hac in narratione omnia male coagmentata sunt. Quid enim? intellegi nullo modo potest, quae in omnibus, ab eo factis, Drusus spectauerit. Senatus ei dicitur obuersatus esse, propterea quod ille populo quidquam dare nollet. Sed nil uideo populo concedi, cum lex iudiciaria ita conparata sit, ut solus Senatus ex ea fructum capiat. Mira igitur leuitate legem agrariam Drusi omisit. Illud unum e Velleio confirmatur, quod est maximum, a Senatus partibus Drusum stetisse, sed quid moliretur Senatum non perspexisse. (Cic. pro Cluent. § 143.)

Contra Appianus (B. C. 1, 35.) rem ita expedit, ut Drusum primam legem agrariam

tulisse narret, quo populum sibi deuinciret. Deinde legem iudiciariam fert, qua senatui ita iudicia redduntur, ut ei CCC. equites adiciantur. Quae omnia eo tendunt, ut Italici ciuitatem adipiscantur (l. c. 36 p. 59. ὑπὲρ ὧν καὶ μάλιστα ταῦτα ἐτέχναζεν.). Nam antea iam eam illis promiserat. Cur autem socii Drusum potissimum eligerent, partium senatus acerrimum propugnatorem, qui caussam tueretur, non addit. Praeterea hoc sane absurdissime a Druso factum esset. Legem enim iudicariam talem, qualem proponeret, ab utroque ordine moleste latum iri (σαφῶς μὲν οὐ δυνάμενος ἐς τὴν βουλὴν ἐπανεγκεῖν τὰ δικαστήρια, τεχνάζων δ' ἐς ἑκατέρους ὧδε·), facile erat intellectu. Multo igitur melius fuit, aut Senatum aut equites deuincire. Etiamsi autem utrumque ordinem sibi deuinxisset, tamen legem Gracchi renouatam a Senatu non posse adiuuari, ipse debuit perspicere. Vt uero lex iudiciaria fuerit artificium, artificium est, quo non facile potest fieri miserabilius. Addita enim illa de corruptis iudicibus clausula, equites, saepius, quod omnes sciebant, corrupti, inritarentur oportuit (Cic. p. Cluent. § 143. p. Rab. Post. § 16.). Denique etiam socii, qui in Etruria Vmbriaque latifundia possiderent, (App. l. c. 46. p. 53.) Druso aduersarii erant, ut ne Italicis quidem ex omni parte satis fecisse uideretur.

Aliam uiam eorum quae Drusus faceret explicandorum ingressus est Liuius (71.). Qui Drusum senatus caussam eo tueri uoluisse scribit, ut pellectis spe ciuitatis sociis legem iudiciariam perferret. At Italicis aut data est ante legem iudiciariam ciuitas aut spes eius adipiscendae facta. Quorum quidem illud sine dubio falsum est. Cum enim Drusus uespero eius diei interfectus sit, qui comitia, de illa quaestione conuocata, praecederet, elucet, legem de ciuitate non ante legem iudiciariam latam esse. Sin autem spes tantummodo ciuitatis obtinendae sociis facta est, quem ad modum eorum opere ad legem iudiciariam perferendam uti potuerit, non perspicitur.

Quae cum ita sint, nil restat, nisi ut Velleium sequamur obscurata sane, sed recta narrantem. Populum enim lege agraria sibi deuincit Drusus, ut iudiciaria iudicia equitibus eripiat; deinde bene intellegens, Senatum firmiore potentiae fundamento niti, si ab ipso ea, quae Gracchus frustra postulasset, ultro concederentur, legem de ciuitate tulit. (Mommsenius 2, 212.) Fugere enim eum non potuit, iustissimam esse sociorum caussam (2. 15, 2), neque ulla alia re magis senatus caussam posse corroborari, nisi ea, quod suum cuique tribueret. (Peterus 2, 90.) Senatores autem quid eis conduceret obliti, ne inuiti adiuuarentur, eum interfecerunt (Mommsenius 2, 215.)[13]).

VIIII.

Acceditur nunc ad ea tempora, quae Caesaris sunt propiora. Sed qui illorum sine dubio summus erat et ingenio ciuili et arte bellica, Cornelius Sulla, a partibus stabat Caesari aduersariis; contra Marius eidem erat adfinis. Quo fit, ut Velleius insita Caesaris ueneratione, quae Sulla magna perfecerit, non possit recte aestimare, praesertim cum ne Ci-

[13]) Num Drusus a Senatu interfectus sit, Velleius quidem relinquit in medio, conligi tamen eum ita arbitrari ex uniuersa rei descriptione potest. — Operae autem pretium uidetur inspicere, quae his de rebus commentus est Sigonius, de ant. iur. It. 3, 1 p. 746 (Halis 1718).

cero quidem ea satis clare perspexisse uideatur. Accedit, quod proscriptiones gloriae moribusque eius caliginem quandam obfuderunt (2. 17, 5. cfr. III, 9.). Nec tamen Marium eximie laudat Velleius, imo militarem tantum artem ei tribuit, pace pessimum eum fuisse dicit (2. 11, 1.), et quibus malis postea remp. dilaceraret, ea bello Cimbrico uix repensasse. Cum igitur ingenium utriusque uiri ita perspiciat, ut eis modo, quae statim in oculos incurrant, in diiudicando utatur, necesse est, ne ea quidem, quae alter in alterum machinatus sit, eum recte describere. Ita factum est in seditione Sulpiciana [14]). Sulpicium enim Rufum nobili loco natum amicitiis et opibus celeberrimum, cum a senatu inritaretur, defecisse narrat (2. 18, 5.). Leges igitur cum alias perniciosas tulisse, tum eam, qua Sullae imperium belli Mithradatici eripiendum atque ad Marium transferendum esse censeret. Quae narratio subabsurda uidetur. Aut enim Mario machinante Sulpicium seditionem fecisse putandum est, aut ipsius animi motu ad instaurandam remp. accessisse. Quorum si illud elegeris, legi illi, qua ut Mario imperium deferretur suasit, maxima uis adsignanda erit; sin in contrariam sententiam discesseris, ceterarum legum maiorem fuisse efficaciam statuendum est et lege illa de Mari imperio lata illum tantum sibi deditum Sulpicium reddere uoluisse. Atqui Velleius nulla Mari ope ad illam ipsam legem ferendam impulsum eum esse narrat. — Ante omnia autem in eo errauit, quod Sulpicium diuitiis florentissimum dixit. Eo enim factum est, ut, qua re homo ante nobilitatis partium studiosissimus ad plebis caussam tuendam perduceretur, non intellegeret. Namque Marius subsidia ei ostendit, quibus creditoribus satis facere posset: (Plut. Sull. 8, 1. Drumannus 2, 436 [37]) itaque eum ad ipsius partes traxit (Liu. 77. App. B. C. 1, 55. Plut. l. c. Flor. 2. 9, 6. [Aur. V.] de uir. ill. 67.). Eadem res efficitur ex Ciceronis iudiciis. Qui cum Drusum saepius laudet (u. e. c. de ND. 3 § 80. § 81.), Sulpicium, utpote qui ab aduersariorum parte steterit, non minus frequentur uituperat (de orat. 3 § 11.). Sed quid est, quod ceteras leges tulerit Sulpicius? Quanquam enim certi quid hominem dissolutum et oppressum aere alieno [15]) secutum esse non puto, tamen nequeo adsentiri Drumanno (l. c.), qui in omnibus legibus id eum elaborasse dicit, ut aere alieno liberaretur. Quid enim? Illa lege, qua sanxit, nequis senator plus duo milia drachmarum aeris alieni haberet (Plut. l. c.), se ipse condemnauit. Neque aliter effugere potuit, nisi adiuncto Mario, qui praeda Mithradatici belli ipsius calamitati succurreret. Omnia autem bene, ni fallor, concinent, si Sulpicium putabimus eas personas agere uoluisse, quas paullo post Cinna sustineret. (cfr. Goettlingius, H. St. C. R. [1840.] 458.) [16]). Quod ut perficeret, Marius, cupiditate Mithradatis superandi incensus, facile ei opitulabatur. Ipsum autem Marium nihil tum praeter illius belli administrationem adpetisse, per se clarum est. Illud tamen quaeri possit, utrum Marius Sulpicium ad nouas res moliendas commouerit, id quod ueteres rerum scriptores adfirmant, an, id quod magis ex rerum natura uidetur esse, Sul-

[14]) Quamquam Mommsenius (2, 248.) Mario nullas in hac seditione partes fuisse scribit

[15]) At quod Velleius (§ 6) Sulpicio probro dat, quod Cn. Pompei filium interfecerit, id si non inuito, certe non instigante Sulpicio factum est. (App. B. C. 1, 56 p. 79.) Quid autem eius interfuit, filium perimere superstite patre?

[16]) Nec hanc sententiam abnuere uidetur Vell. 2. 18, 6.: (leges tulit) *exitiabiles, nec tolerandas liberae reipublicae.*

picius Mario se obtulerit. Nam cum Sulpicius antea Senatus partibus faueret, in eum ipsum incidisse Marium, cuius opera, quae uellet, perficeret, non est ueri simile. Atque eae quas praeter illam de Mari imperio leges tulit: ut exsules lege Varia (Script. ad Her. 2 § 45.) reuocarentur, ut noui ciues in omnes tribus distribuerentur (cfr. X. n. 18.), ut aere alieno oppressi de senatu mouerentur: eae omnes tanti momenti sunt adeoque statum concutiunt, ut Sulpicius aliud etiam praeter Mari caussam respexisse putandus sit.

Sulla autem audito Sulpiciano tumultu urbem capit, Mariis Sulpicio aliisque aqua et igni interdicit. Atque illi in Africam perfugiunt. Qua in fuga describenda per neglegentiam Velleius in errorem incidisse uidetur. Namque Marium patrem in Africam contendisse narrat, sed captum et Minturnas a municipibus ductum postea liberatum esse. (2. 19, 3 et 4.) Deinde in Aenaria insula filium adsecutum esse, quocum in Asiam nauigaret. At Plutarchus prodit, Marium filium in Italia a patre relictum esse; deinde multa pericula perpessum directo cursu in Asiam peruenisse. Contra Marium patrem cum Granio quodam ex Italia in Asiam transuehi uoluisse. Sed aduersis uentis cum ad terram adpellere coacti essent, solum Marium esse captum. Quem postea non filium, sed illum ipsum Granium in Aenaria conuenisse. (Plut. Mar. 35, 5 sq., in primis 40, 1.) Atque ea confirmantur ab Appiano (1, 62 p. 88.).

X.

Sulpicianam Cinnana excipit seditio. Cum enim Cinna bis rerum potiri conaretur, primum ciuilibus artibus, deinde armis: illud quidem ei non contigit, his per triennium summam potentiam obtinuit. De cuius ingenio quae Velleius (2. 24, 5.) scripsit, Drumanno (2, 580[81]) emendanda esse uisa sunt. Sed puto, Velleium et sibi constare et historiae. Etenim Cinna consul[17]) nouos ciues in omnes tribus dispartiri conatur[18]). Multo autem incredibilius est, quod Appianus (B. C. 1, 64.) Cinnam a Mari amicis corruptum esse narrat. Nam Cinna iam antea optimatibus erat infestus. Nec uero intellegi potest, cur Cinnae de

[17]) Quo modo consulatum per Sullam adeptus sit, Velleius narrauit, ubi nunc exstat lacuna (2. 20, 1.). Eo etiam fit, ut quae de Pompeio a Strabonis militibus interfecto tradit, abruptissima uideantur. Ille enim a Sulla missus, ut Strabonem exciperet, a militibus certe non inuito duce interemptus est. Drumannus 2, 439[55]. Liui 77.

[18]) 2. 20, 2. Hoc de loco cum Appiani 1, 49. 55. 64. conciliando multa iam disputata sunt. cfr. Goettlingius d. 451. Mommsenius, Trib. Rom. (1844) 11 sq. Beckerus 2. 1, 170. Zumptius, stud. Rom. 370. Walterus, H. J. R. (1860) 1, 389[12]. Non dubito, quin Velleius ueriora Appiano narret. Sane uero quod Velleius in octo tribus a Sulpicio nouos ciues contributos esse dicit, Appianus uerbo δεκατεύειν utitur, non repugnat (Mommsenius d. 11. 12.). Argumenta autem, quibus commotus Velleio plus quam Appiano tribuam, haec sunt. Primum Romanos tribus illo tempore auxisse, non est probabile, neque usquam nouarum tribuum uestigia reperiuntur (Goettlingius l. c.). Deinde Appianus ipse (55.) nouos ciues in omnes tribus a Sulpicio receptos esse narrat, ἐπήλπισε ἐς τὰς φυλὰς ἁπάσας διαιρήσειν, et ex c. 64. simile quid consequi uidetur. Nam si noui ciues uere nouas tribus confecissent, non intellegeretur, cur impotentiae id caussae esse dicerent, quod ultimo loco suffragia ferrent, ἵνα μὴ τελευταῖοι ψηφιζόμενοι πάντων ὦσιν ἄκυροι (p. 90.). Id enim multo aptius eo refertur, quod, quanquam erant antiquis tribubus adscripti, tamen ultimi ad suffragia ferenda admittebantur. Quapropter non puto recte Goettlingium suspicari, socios tribubus urbanis et IIII. rusticis admixtos esse. Beckerus autem (2. 1, 170[81]) se non intellegere dicit, quo modo contribuendi uerbum ita quis possit interpretari. Sed eius usus exempla permulta in Klotzi lexico s. u. inuenies (by.).

nouis ciuibus distribuendis legem ferenti auctor Marius fuisse putandus sit. Si enim ille, ut Appianus narrat, exsul manebat, nihil ex illa lege utilitatis cepit. At haud recte Drumannus (2, 581 [23]) iam tunc Marium a Cinna lege reuocatum esse adfirmare uidetur. Quod cum per se non necesse sit; nam Cinna nouis ciuibus adiunctis uel sine Mario satis habebat potentiae; tum a rerum scriptoribus non confirmatur. (cfr. App. 1, 64. Liu. 79., quem falso contrariae sententiae Drumannus auctorem citat.) Dio quidem (fr. 119, 1. Stz.) legem in altera seditione dicit renouatam esse. Sed hoc argumentum, cum ex fragmentis satis certo iudicari nequeat, non magni momenti est. Florus autem (3, 21 [2. 9] 9) et Aurelius Victor (69) quam nihil ualeant, uel eo patet, quod legem de nouis ciuibus latam ne uerbo quidem adtingunt.

Cinna post hanc legem latam ex urbe pulsus, postquam exercitum apud Nolam (siue Capua fuit App. 1, 63.) ad suas partes adegit, ut gratiam a populo ineat, Marium ex Africa reuocat (2. 20, 4.). Plutarchus (Mar. 42, 2.) autem Marium reuertisse narrat, simulatque de rebus Romae gestis certior factus esset. (cfr. App. 1, 67.) Quod in Appiano quidem mirum esse non potest, qui sicuti in Sulpiciano tumultu Mario partes maiores tribuat (cfr. 1, 70 p. 99 [ᾔσθοντο γὰρ Μαρίου ἔργα εἶναι τάδε πάντα, Κίνναν δ'αὐτοῖς ἐπιγράφεσθαι.] 1, 68. [ubi Marius Samnites ad ipsius partes trahit antiquitus ei amicos] 1, 64. [ubi Ap. Claudium corrumpit, ut Ianiculum prodat.]). Potest autem res ita accidisse, ut ii, qui Marium certiorem facerent, simul ut rediret adhortarentur. Certe uero non puto (Drumannus 2, 590), Cinnam se Mario adplicuisse, imo eo usum esse, cuius opera, quae ipse uellet, consequeretur. Nam potentiae adpetens erat, sed utrum solus an cum collega eam obtineret, nil curabat. (Mommsenius 2, 306.)

Interim Cn. Pompeius, utras partes amplecteretur dubitans, medium se gerebat (2. 21, 1.). Quod ab omnibus ita confirmatur, ut plerique etiam grauius, quam Velleius, eum reprehendant (Liu. 79. Gran. Lic. [ed. heptas] 23 B. 16; 27 B. 9 [19]). Cur autem optimates non adiuuerit, uarie trahitur. At quod Velleius dicit, frustratum illum consulatus spe neutri parti se addixisse, id quo pertineat non uideo [20]). Cum enim Sulla ita non comitiis candidatos suppeditasset, ut infestum ipsius partibus Cinnam crearent, Pompeius eo iratus esse nullo modo potuit. Vera autem caussa fuisse uidetur, quod ex equestri gente natus omnino senatus partibus non fauebat [21]). Cum igitur Metellus Samnitium bello distineretur, et ualde dubia esset optimatium uictoria, non erat, cur ipsius opibus partes eorum corrobo-

[19]) Appianus quidem (1, 66 extr. 67.) non diserte hoc dicit. Attamen uel ex eo, quod Metellus consul a Samnitibus reuocatur (1, 68: στρατιᾶς ἄλλης δεόμενοι) Pompeio senatum soli confidere non potuisse sequitur. cfr. Gran. Lic. 27 Λ. 4. Sed hoc ipsum apud Velleium non commemoratur. Eo fit, ut quae ad Ianiculum facta sint, ipsa quoque taceantur atque Cinnae foedus cum Samnitibus initum.

[20]) Possis hunc locum eis addere, quibus supra (I, 4) probare conatus sum, Velleium quae in medio essent caussas rerum exponere, interiores non perscrutari.

[21]) cfr. Mommsenius 2, 260. Cetera, quae Drumannus 2, 583 [24] addit, non uidentur rem satis explicare. Mommsenius 1. 307. autem suspicatur, Pompeium insequentis anni consulatum adpetisse, quo ipse summa rerum potiretur. Nam Cinnanis eum non fauisse, ex proelio grauissimo cum eis commisso conligi atque ex eo, quod Octauium ad Ianiculum adiuuerit. At proelium, quam non graue fuerit, uidebimus, Octauium autem num adiuuerit, omnino dubium est. Nam quanquam Appianus 1, 68 p. 96 eandem rem narrat, Liuius 80. Metellum succurrisse scribit.

raret. Victis autem alteris utris partibus neglegi non facile potuit, qui maximum omnium exercitum haberet. Attamen contra leges directo facere non audebat. Quocirca iubentibus consulibus exercitum urbi admouet atque cum Cinna proelium conserit. Quod cum Velleius cruentissimum fuisse adseueret (2. 21, 3.), nec ab Liuio nec ab Appiano commemoratur. Atque uere Pompei, qualem se usque ad illum diem gessit, non erat, graui proelio cum Cinnanis confligere. Praeterea postquam Pompeius aduenit, Metellus arcessitur, ut etiam tunc illum dubium se praestitisse adpareat. Itaque probabile est, Velleium, qui in fontibus inueniret, Pompeium ad portam Collinam accessisse (Drumannus 2, 584.), hoc proelium confudisse cum eo, quo Sulla triennio post Carbonem ad portam Collinam superaret. (V. 2. 71, 1.) Post hoc proelium Pompeium ea peste, qua exercitus dilaceraretur absumptum esse, Velleius refert (2. 23, 4.). Sed inter illud proelium mortemque Pompei longius temporis spatium intercessisse certum est. (Drumannus d. 584 [42]) Attamen omnes consentiunt, Pompeium non peste absumptum, sed fulgure percussum esse. (App. 1. 68, 80. Plut. Pomp, 1, 2. Drumannus 584 [38]. Sauppius 151.) Tritum autem est, illam de fulgure narratiunculam totiens repeti, quotiens repentina quaedam mors significatur. Atqui cum iam antea L. Terentius corruptus esset, ut Pompeios interficeret (Plut. d. 3, 1.), cuius proposita ad irritum ceciderunt, equidem (id quod ne Mommsenius [2, 308.] quidem abnuere uidetur) non fulgure, sed ab optimatium sicariis eum interemptum esse statuere non dubito.

Quae mortem Pompei insecuta sit laetitia, quae cum Cinna Marioque fuerint interlocutiones, usque dum uterque [22]) urbem intraret, leuiter tractat Velleius, sed in proscriptionibus describendis non sine gaudio quodam commoratur.

XI.

Dum Romae seditiones sese excipiunt, imminens ab Oriente bellum Mithraditicum uix repellitur. Mithradates autem, quem Velleius ita depingit (2. 18, 1.), ut magis uerborum magnificentiam sequi uideatur, quam congruentiam, in uniuersum nil fuit, nisi despota Asiaticus, qui propter immanem regni ambitum immania et portentosa cum quadam magnitudinis specie perpetraret (Mommsenius 2, 264.). Nam quod uirtute eximium Mithradatem Velleius fuisse dicit, id quo pertineat non adparet. Contra id cum Drumanno (2, 440.) contra Mommsenium tenendum est, „consiliis ducem“ uere Mithradatem fuisse. Quidquid enim dicitur contra, uniuersum illud foederis cum Italicis ineundi consilium [23]) non uolgaris est hominis; atque ea, qua bellum a Romanis finitum totiens redintegrabat, despotae orientalis fines excedit constantia. Iam quae de bellis contra eum gestis, de Sulla Valerio Flacco Fimbria Velleius disserit, trita sunt neque a uolgaribus aliena. Reuersus autem in Italiam Sulla bellum Carbonianis infert. Nam Cinna iam ante Sullae aduentum interfectus erat. Totum uero hoc bellum ualde mutilatur, ut nulla possit eius iusta imago informari. Quanquam,

[22]) Velleius utrum serio necesse fuisse putauerit, ut Cinna de recipiendo Mario legem ferret, an ironiam Mari perspexerit, ex uerbis eius, 2. 22, 6., non adfirmauerim.

[23]) Diodori 37, 10 p. 189 (Schweigh.) Quanquam Wesselingius ad h. l. p. 389. de illis consiliis, ut quae alibi non reperiantur, dubitare uidetur.

ut Mommseni narratione (318 sq.) edocemur, ne aliorum quidem scriptorum ope omnia satis dilucida fiunt. Verissimum porro est, quod Sauppius 153. maxime duxit uituperandum, pugnas ad Clusium Fauentiam Fidentiam falso ante pugnam ad Sacri portum consertam narrari; potest tamen hic error explicari (Sauppius l. c.) ita, ut Velleium pugnam ad Sacri portum commissam cum Collina prae festinatione confudisse statuamus. Contra recte sine dubio nomina oppidorum referuntur, ad quae pugnae factae sint. Pro Capua enim Appianus (1, 84) Canusium (Drumannus 459[85]) pro Sacri portu Plutarchus (Sull. 28, 2) Signiam, quae est uicina urbs maior, Appianus 1, 87 Praenesten, duo praelia confundens, ponunt.

Vniuersum autem Sullae ingenium quale esset Velleium non cepisse supra iam significauimus. (VIIII, 19.) Itaque statim ab initio falso dicit (2. 17, 1.), Sullam non satis ante uictoriam laudari, uituperari post uictoriam. Earum enim rerum, quas ante uictoriam Sulla gessit, bella, quae administrauit, laudabilia sunt: uita eius nec praedicanda nec reprehendenda est, sed ex indole explicanda. Post uictoriam uerum est proscriptionibus eum in ciues saeuisse Marianis eo crudelioribus (2. 32, 1.), quod merces capitis ciuium constitueretur, (2. 22 4.) quodque Sulla non ultionis fame incitari uideretur (2. 28, 3.). Etenim exterminandi erant populares, quo optimates eo certius dominarentur. Sed uniuersa haec, quae fieri solet, inter Sullae ingenium, quale ante uictoriam qualeque dictator habuisse putatur, distinctio, ex eo, quod singularis animi eius indoles non percepta est, repetenda uidetur. (Drumannus 2, 500 cfr. incomparabilis Mommseni descriptio 2, 366-376.) Attamen, quamuis uestigium, quod ipse indicat, non persecutus sit Velleius, tamen rectum significauit. Fuit enim in Sulla summa rerum publicarum futurique neglegentia cum studio sui acerrimo coniuncta. Atque hoc maxime ex eo cernitur, quod per triennium regnantibus Romae aduersariis Mithradati bellum intulit et, simultate non celata, tamen prius debellare, quam de inimicis supplicium sumere constituit (2. 28, 4.)[23]). Attamen quanta fuerit in republica ordinanda uiri magnitudo, ex Velleio, qui de sola lege tribunicia in transcursu mentionem iniciat, (2. 30, 4.) non edocemur.

XII.

Iam hoc loco (2. 29, 2.) Pompei ingenium moresque tam eximiis laudibus tolluntur, ut quid Velleius de eo in uniuersum senserit et quatenus ueritati sit consentaneum examinandum esse uideatur. Atque si demeris oratorium fucum, non erit, cur eis, quae Velleius dicat, non accedas. Quanquam enim in id desinit, ut Pompeium omnium uitiorum paene expertem scribat, tamen non desunt, ex quibus indolem illius eum rectius perspexisse eluceat. Ita quod Pompeium neminem sibi parem habere uoluisse dicit, si cum eo coniunxerimus, quod potentiae eum, quae honoris caussa deferretur, non quam ipse occuparet, cupidissimum fuisse tradit, quid caussae fuerit intellegemus, cur et bella ab aliis paene sepulta ad finem perducere gestiret (2. 30, 3. 34, 2. Plut. Pomp. 2, 21. Appian. B. C. 1, 115.) et

[24]) Eo etiam pertinet, quod summa insequentis temporis incuria periculosissimos aduersarios incolumes dimisit (2. 25, 2. 3.). Quanquam uix cum ueritate conspirat, quod Sertorium quoque a Sulla captum dimissumque dicit Velleius (Sauppius 151.). A nemine enim alio haec res commemoratur. Nec tamen cum Drumanno 2, 459[86]. 4, 352[74]. uerba illa ab interpolatore profecta esse putauerim.

cur summae rerum semper esset adpetens nec tamen unquam audacter quae uellet exsequeretur (Mommsenius 3, 13 cfr. 190.). Etiamsi autem Pompeium recte, quis fuerit, Velleius perspexisse uidetur, tamen illud, quod ultimum erat liberae reip. cum eis, qui regnum adfectabant, bellum non recte diiudicat. Primum enim, quanto opere Lepidana seditione rerum a Sulla ordinatarum status concussus sit describere prorsus omittit. Deinde quae Pompeius fecerit in primo consulatu, quibus reipublicae forma a Sulla instaurata commutaretur, magis significat, quam exponit (2. 30, 4.). Nam Pompeius et ipse legem tulit, qua tribunicia potestas restituta est, et Aurelium Cottam ad legem iudiciariam ferendam commonuit (Peterus 2, 168. Mommsenius 3, 94.). Haec res eo obscuratur a Velleio, quod legem Aureliam post legem demum Gabiniam commemorat (I, n. 3.). Ea autem lege Cotta non, ut Velleius narrat, (2. 32, 3.) inter senatum equitesque iudicia partitus est, sed inter senatores equites tribunosque aerarios [25]). (cfr. Marquardtius, H. E. R. 42. 43. Mommsenius, trib. Rom. 45, 52.) Sed, quod maximum est, quam uim habitura fuerit lex Gabinia, nisi Pompeio cunctanti et nil audenti res e manibus esset elapsa, prorsus non intellexit [26]). Pompei enim imperium, cum eo, quod quondam Antonius habuit in piratas, comparat. At aliud est tale imperium (quanquam Antoni Pompeiano non plane fuit par, Drumannus 1, 63. 4, 396.), optimati deferre, aliud populari et ei, qui totum orbem terrarum in se conuerterat (31, 1.). Nam Cethegus et Cotta Antonio fauerant, Pompeio totus senatus erat infestus [27]). Sed simul ea ipsa re gloriae Pompei detrahit. Nam quae Antonius, ni omnis consili expers fuisset, potuisset perficere, ea Pompeium, maiore etiam laude ornatum, perfecisse, nil est, cur tam effuse laudetur. Attamen belli consilium excogitatum esse praeclare, bellum egregie gestum ab omnibus conceditur (Drumannus 4, 407.). Finito bello piratico, Manilius trib. pl., ut Pompeio bellum Mithradaticum gerendum mandaretur, lege suasit. Ita Velleius narrat; sed Plutarchus sine dubio uerius adiunctos esse Pompei imperio Luculli et Glabrionis exercitus (Pomp. 30, 1.). Si enim imperium illud non retinuisset, non aucta esset eius potentia, sed deminuta. Nec tamen superuacaneum erat bellum contra Mithradatem redintegrare. Lucullus enim a militibus seditiosis omnes, quas antea occupauerat, regiones omittere coactus est. Etsi igitur Regis uires ita debilitauerat, ut alii cuilubet imperatori debellare esset facile (Peterus 2, 164. Drumannus 4, 160.

[25]) Statim huic legi Velleius adiungit Rosci theatralem, qua equitibus separatas a populo sedes restitutas esse dicit. (cfr. Cic. p. Mur. § 40. Sigonius, I. A. I., 1, 422.) Quo ex uerbo sequitur, equites iam antea separata a populo subsellia habuisse. Quae quo tempore amiserint, ualde quaeri potest. Puteanus 839. Certe autem falso Rudorffius, H. I. R., 1, 36 [1] lege Aurelia in dubium uocatum esse dicit, utrum subsellia equitibus manerent an eriperentur. Cum enim iudicia ea lege equitibus redderentur, id tantum potuit ambigi, num tribunis aerariis idem honor non attribuendus esset. cfr. Marquardtius, H. E. R. 43. 44 n. 49., qui se non multum his locis tribuere rectissime dicit. Nam Vellei locum ex Ciceronis l. c. esse desumptum.

[26]) Neglegenter Velleius lege ipsa Pompeium designatum esse narrat. Vix enim est, quod animaduertatur, Pompei nomen a Gabinio consulto non commemoratum esse. Dio 36, 6. *ἄντικρυς μὲν γὰρ τὸ τοῦ Πομπηίου ὄνομα οὐκ εἶπεν.*

[27]) Sed enim ne hodie quidem desunt, qui optimates, partium studio inflammatos, Pompeio restitisse dicant, non se reique publicae statum defendentes: Peterus 2, 171. cfr. contra Drumannus 4, 403. Zonaras 10, 3 p. 305 (Pind.) (Gabinius) *ἔγραψε νόμον οὐ ναναρχίαν, ἄντικρυς δὲ μοναρχίαν αὐτῷ διδόντα.* Plutarchus autem lege Manilia lata dicit (Pomp. 30, 2.) *τοῦτ᾽ ἦν ἐφ᾽ ἑνὶ συλλήβδην γενέσθαι τῶν Ῥωμαίων ἡγεμονίαν.*

cfr. Plut. Luc. 36, 3. *τῷ γὰρ ὄντι τὴν ἐκείνου [Πομπηίου] στρατηγίαν αἱ τούτου [Λουκούλλου] πράξεις ἐκόσμησαν*), tamen Lucullus certe bellum ad finem perducere non potuit. Intermisso deinde triennio Lucullus triumphauit. Qui triumphus ut ageretur tandem optimates adsecuti sunt. Nam Senatus Lucullum et Metellum firmissima contra Pompeium adminicula esse opinabatur. Ipse uero populus ne triumphi quidem magnificentia adductus est, ut Lucullo faueret (Drumannus 4, 163.). Non igitur perspicuum fit, quo modo apud optimum quemque Luculli et Metelli triumphum Pompei inuidia fauorabilem factum esse possit dici (2. 34, 2 et 3.). Etenim iam antea optimates eis fauebant, populares uel postea infesti erant.

XIII.

Ciceronis Catonisque ingenia qualia fuerint ex Vellei narratione (2. 34, 3. 66, 3. 35, 1. 45, 5.)[28]) frustra conabimur instaurare. Vtrique enim splendor circumfusus erat, illi eloquentiae, huic constantiae, ut fieri non posset, quin ab eis laudarentur, qui non diu post mortem eorum essent. Qua ex re sequitur, Ciceroni maiores Velleium in republica administranda partes tribuere, quam hodie multis egisse uidetur, et magis eius rationem Caesarem habuisse, quam tanto uiro in tantillum dignum esse ducitur. Atque ea quidem ex eis, quae primum triumuiratum insecuta sunt, statim cernuntur. Quae autem de Caesaris ingenio Velleius narrat, ea ita uera sunt, ut uniuersa eius animi indoles non comprehendatur[29]). Quanquam autem Caesarem non ita puto perfectum ex omni parte fuisse, ut rerum scriptoribus admirandus sit, non describendus (Mommsenius 3, 448.), tamen difficile fuit definire illius animum ei, qui admirationi indulgere uellet. Itaque quas magnas in Caesare fuisse

[28]) 2. 45, 5. legitur in editione principe: *cuius integritatem laudare nefas est.* Quod cum Lipsius defenderit, Ruhnkenius p. 229. conicit *haud laudari*, Kritzius et Halmius legunt *laude fraudari.* Sed Lipsiana ratio mihi uidetur optima. Dicit enim Velleius, cum nulla laude satis efferri possit Catonis integritas, nefas esse, siquis laude ad eam deminuendam abuti uelit. In expeditione uero Cypria ipse Velleius eum solito ulterius processisse statuit. Quod quo modo Ruhnkenius ex uerbis elici non posse dicat, non intellego. Contra quae ipse infert nil ualent. Nam si Velleius Catonem laudandum esse diceret, cum ipse integritatem eius non praedicaret, nil sani agere uideretur. Quo tamen usque Catonis integritas in Cypro processerit, ut ne amicis quidem confideret, narrant Plutarchus Cat. 37, 2. 38, 1. Drumannus 2, 266.

[29]) Non nulla in Caesaris iuuentute describenda Sauppius 152. animaduertit, quae cum ueritate pugnare uidentur. Caesarem enim non probabile est, ante Sullae mortem a piratis captum esse (2. 42, 1. cfr. Plut. Caes. 2, 1.). Sed Iunius Silanus, Bithyniae proconsul paucis annis post fuit (Drumannus 3, 135), ad quem dicitur ex nauigatione se contulisse. Nihilo minus non prorsus potest haec res ad liquidum perduci. Nam et testes sunt, qui Caesarem redeuntem a Nicomede captum esse adseuerent, et duo itinera Asiatica facile commisceri poterant. — Deinde in eo Velleium turpiter errasse dicit Popma 895., quod ad ius dignitatis proscriptorum filios ab aedile Caesare restitutos esse narret (2. 43, 4.). Sed non absona uidetur Burmanni coniectura; qui, cum Cicero in consulatu, ut proscripti reuocarentur dissuaderet (Drumannus 5, 437.), Caesarem de ea re iam antea cogitasse suspicatur. Sed Velleius neglegenter illam rem iam tunc perfectam esse putat. — Denique Caesarem flaminem Dialem fuisse (2. 43, 1.) negauerunt plerique secuti Tacitum, ann. 3, 58., qui post Merulae mortem LXXV. annos (nam ita cum Lachmanno legendum est. cfr. Nipperdeius p. 188.) neminem fuisse flaminem dicit. Quae res ita cum Drumanno facillime expedietur, ut Caesarem flaminem designatum, sed non inauguratum esse statuamus (3, 131 [86].) Norisius autem (Cen. Pis. p. 118 F.) iniuste a Drumanno reprehenditur, quod flaminium et pontificatum misere confuderit. Nondum enim Lipsi coniecturam (p. 892.) ante oculos habuit, qua lux demum huic loco conclamato adlata est.

animi ingenique dotes Velleius enumerat omittamus; quae eum fecisse narrat consideremus. Ac primum quidem de triumuiratu dispiciendum est. Cuius caussae a Velleio non tam alte repetuntur, quam uidentur esse repetendae. Sed quibus rebus praecipue commoti sint, ut illo ipso tempore potentiae societatem inirent, recte explicat (2. 44, 2.). Quippe Caesar nondum satis uirium habebat, ut Pompeio, clarissimo sine dubio illius temporis imperatori, resistere posset (Dio 37, 55.). Pompeius, qui magnam rerum potiundi tunc opportunitatem cunctando praetermisit, ad initium curriculi reiectus erat, ut ipse quae uellet se suis uiribus perficere non posse intellegeret. Nam cum ea uia semel ingressus esset, ut quae armis facillime obtinere posset, ea legibus adipisci conaretur, aliorum auxili contra Catonem Senatumque indigebat, ut is, quem in Asia statum induxisset, a Senatu ratus haberetur. Quod ni fieret, non modo omnis ea quae maneret potentia ei adempta esset, sed in ciuium prouinciarumque contemptum se incursurum esse uidebat. Crassus denique regnandi cupidus erat, nihil curans, utrum primo an secundo loco constitueretur.

Iam uero Mommsenius 195. narrat, tres uiros, ut quae uellent perficerent, Caesarem consulem fecisse. Nec uero desunt, quibus hoc confirmetur. Rem enim ita tradiderunt Plutarchus (Caes. 13, 2. Pomp. 47, 1.) Appianus (B. C. 2, 9. *συμπράξειν ἐς τὴν ὑπατείαν ἐπομόσας* [*ὁ Πομπήιος*]) Dio (37, 55.) Zonaras (10, 6 p. 315. *καὶ ὑπ' ἀμφοῖν ὥσπερ δορυφορούμενος ἐς ὑπατείαν προήχθη.*). Contra Velleius (44, 1.) Caesare iam consule initum esse triumuiratum adfirmat, Suetonius (Iul. 19., quem secuti sunt Drumannus 3, 192[10], Peterus 2, 231.), Caesarem consulem designatum fuisse, Liuius (103.) candidatum consulatus. Quem idem, quod Suetonium significare, ex ipsa rei natura consequitur. Nam Caesarem aut ita ambisse consulatum patet, ut se illum adepturum esse Pompei Crassique ope sciret, aut, cum consulari potestate fretum se magis ex aequo cum Magno et cum Diuite de societate potentiae acturum esse speraret, omni modo consul designari contendisse. Dum autem ipse auxili contra senatum maxime indigeret, ut consulatum impetraret, Crassum et Pompeium eum reconciliasse putare, nil habet rationis. Nam quas illi uolebant Caesari, ad consulatum ipsorum opera prouecto, condiciones praescribere poterant. Verum tamen eis, quae consule Caesare tres uiri commoda adepti sunt, tantum abest, ut nil ante initam societatem potentiae in Caesare fuisse demonstretur, ut Caesar unus uerum ex consulatu fructum percepisse uideatur. Prima igitur Caesaris lex erat agraria. Qua eum sanxisse narrat Velleius, ut ager Campanus plebi diuideretur (2. 44, 4.). Contra Dio 37, 1. ipsum illum agrum Campanum, quippe qui fertilitate praestaret, lege a distributione exceptum esse, et Appianus 2, 10. eis tantum eum esse distributum refert, qui tris liberos procreassent. Sed cum Cicero (ad Att. 2. 16, 1. 18, 2.) Campani agri diuisione omnium animos excitari scribat, quin ager Campanus ex ea lege maximam partem distributus sit, non est, cur dubitemus. (Drumannus 3, 198[5]. Mommsenius 3, 198.; aliter sentit Peterus 2, 231.) Deinde non ueteranis tantum Pompei a XX. uiris agros adsignatos esse, sed aliis etiam de plebe et e Vellei uerbis concludere possumus et ab aliis etiam scriptoribus confirmatur (cfr. Plut. Pomp. 47, 3. *εὐθὺς δὲ θεραπεύων τὸν ἄπορον καὶ πένητα κτἑ*). Non igitur ad solum Pompeium ex hac lege commodum redundauit, sed etiam Caesar maiorem apud populum gratiam iniit. Ceteras leges praeter decretas Caesari in quinquennium Gallias non commemorat Velleius (I, 6.).

Maxima autem erat ea, qua omnia, quae in Asia Pompeius instituerat, a populo rata sunt habita. Qua lege quamquam Pompeio Caesar satis commode succurrit, tamen nil magni ea Pompeius consecutus est. Etenim nisi quae in Asia fecerat confirmabantur, Pompeius, qui de toto terrarum orbe triumphauit, a Senatu pessum datus iacebat. Contra si Caesari Galliae concessae non essent, fortasse aliam rerum potiundi uiam circumspexisset. Omnino autem is, qui nondum ad gloriae fastigium adscenderat, omniaa udens non ita magna audebat. Idem in agros cadit, ueteranis adsignandos. Neque enim tam commodo Pompei postulabatur, ut milites eius agros promissos acciperent, quam ipsa qua gaudebat existimatione. Quae cum ita sint, facile intellegitur uerum esse, quod supra diximus, Pompeio nil a III. uiris concessum esse, praeterquam quod necesse uideretur, ut ad adiuuandos collegas satis uirium retineret. Sed aliter res se haberet, si Pompeius non ex aequo cum Caesare consule designato egisset, sed cum priuato, qui ad consulatum ipsius auxilio pramouendus esset.

XIIII.

De Ciceronis Catonisque exsilio iam supra (IIII, 11.) in transcursu dictum est. Res autem a Velleio ita narratur, ut maior Ciceronis uirtus et potentia, quam uere fuit, uideatur (45, 1.). Contra Clodius recte describitur. Attamen eae leges non enumerantur, quibus populum sibi deuincire studuit (Dio 38, 13. 14.). Et recte, si leges ea propter latae esse dicuntur, ut eo tutius priuilegium in Ciceronem perferretur. Nam lex, qua Cicero urbe motus est, non noua erat, sed saepenumero iam repetita. Cicero autem se illa peti sentiens, ipse se accusauit, cum pulla ueste indutus Caesarem Pompeiumque supplicaret (Dio 38, 14.). Neque uero est dubium, quin Clodius, ni Caesar moderatus esset, non lege eum petierit, sed accusatione. Reuocatus autem est Cicero intra biennium (§ 3.). Nam exeunte mense Martio uel incipiente Aprili a. 696. Roma cessit (ad Att. 3, 2.), non. Sext. a. 697. (ad Att. 4. 1, 4.) Romam proficiscitur, ut XVI. menses abfuerit.

Cato autem honorifici ministeri titulo Cyprum missus est, ut Ptolemaeum regno spoliaret diuitiasque eius Romam transportaret. Missus autem dicitur *quaestor cum iure praetorio*. Qua in re Puteano 802. „interdum uenit in mentem, Vellei diligentiam requirere.“ Lipsius autem *quaestorium* pro *quaestore* scribere uolt. Sed ualde hoc superuacaneum est; nam quaestores pro praetore saepius in prouincias mittebantur, qui non erant praetores (Marquardtius 3. 1, 284[51]. Mommsenius 3, 103 n.). Falso autem sine dubio Peterus (2, 242.) quaestorem tunc fuisse Catonem scribit, qui iamdudum Senator esset. Iam uero Drumannus (2, 262.) prorsus iniuria Cyprum Ptolemaeo ereptam opesque regiae gazae Romam translatas esse dicit. Quod si uerum esset, cur Cato eo officio tam solerter functus esset, non intellegeretur, aut qua re senatus legem illam inhibere nullo modo temptaret. Itaque non dubium potest esse, quin et Cato et optimates testamentum illud, quo populus Romanus heres institueretur, Alexandri siue I. siue II. iustum ratumque esse censuerint (Cicero de l. agr. 1 § 2. § 41. Mommsenius 3, 47 n. 151. 205.), sicuti regnum Attalicum iusta hereditate ad eos peruenerat.

XV.

Priusquam huic disputationis parti finem imponamus (IIII, 10.), quasi corollarium quoddam de prouinciis pauca addenda sunt. Considerandum autem tantum modo est, quo modo Velleius in hac re exponenda uersatus sit. Semper uero id Velleius spectasse uidetur, ut non quando terra quaedam subiecta uere in prouinciae formam redigeretur definiret, sed a quo ita subiceretur perscriberet, ut nunquam postea a Romanis deficere auderet. Hoc igitur temporis punctum et antequam prouincia uere constituta est esse potest, et postea; potest etiam in idem utrumque tempus incidere. Quod statim ab initio in Sicilia animaduertitur. Quanquam enim Sicilia a M. Laeuino demum prorsus subiecta est, Agrigento capto ceterisque oppidis in deditionem receptis (Liu. 26, 40 extr.: *Et quod ad Siciliam attinet, eo anno debellatum est.*): tamen a Marcello captis Syracusis maxima belli moles superata est (2. 38, 2.). Illud autem omnino non respicitur, finito primo bello Punico occidentalem insulae partem Romanorum imperio subiectam esse (Polybius 1, 63. Zonaras 8, 17 p. 163.). Postea enim uniuersa insula iterum amissa est. Idem in Hispanias cadit. Namque inde ab anno 549. magistratus annales in Hispanias mitti solebant (App. Mithr. 38.). Insecuta autem est seditio Viriathica Numantina Sertoriana. Ab Octauiano demum in Iberia debellatum est (Liu. 28, 12. Mitscherlichius ad Hor. Carm. 2. 6, 2.). Contra Macedonia post pugnam Pydneam prius perdomita est, quam facta stipendiaria (Ep. Liui 45. *Macedonia* [a Paullo] *in prouinciae formam redacta est.* cfr. Marquardtius 3. 1, 116[40].). Quod cum liberae Macedoniae finem fuisse narret Velleius (2. 38, 5.), Illyricum, eodem modo liberum esse iussum atque in tres partes distributum (Liu. 45, 26 extr.), a Tiberio demum stipendiarium esse factum definit (2. 39, 3.). At iam Caesari una cum Galliis Illyricum prouincia data est (Dio 38, 8 p. 384.). Sed tamen, Delmatis a Tiberio subiectis, Delmatia demum prouincia adiuncto Illyrico constituta uidetur (Marquardtius d. 113[20].), ut hanc prouinciam quoque Tiberio attribuendi occasio esset. Porro Achaia utrum a Mummio uere in prouinciae formam redacta sit (2. 38, 5.), an postea demum, dubitatur (Marquardtius 121 sq. Mommsenius 2, 146 sq.). Sed Velleius sine dubio recte Mummio Achaiae debellatae gloriam adsignat, propterea quod capta Corintho Graecia dicioni Romanae subiecta est.

Interdum autem Velleius apertum errorem in se admittit. Ita Asiam a M. Perperna subiectam esse adseuerat. Quod necessitate quadam cohaeret cum eis, quae supra (V, 13.) eum de Perperna falso narrari cognouimus. Nam ille, quanquam Aristonicum iam captum tenebat, tamen aduentu successoris, M.' Aquili, quo minus res Asiae ordinaret, prohibitus est Marquardtius 130[44].). Non minus falso narrat, Domitium Fabiumque primos Gallias cum exercitu intrasse (39, 1.). Sine dubio enim iam Opimius Ligures subegit (Polyb. 33. 5, 7. 8. Liu. 47.), quorum terrae Massiliensibus traditae sunt. Fabius autem primus ex uictis Allobrogibus cognomen Allobrogico tulit (Ammian. 15. 12, 5 W.). — Deinde Galatas a Cn. Manlio Volsone superatos esse, constat, et consulem ex ea uictoria triumphasse (Liu. 38, 39; 39, 6.). Attamen eo, quod bene de republica meritus est, contentus erat. Galatae igitur quiete per Romanos agere licebat, qui liberae ciuitatis uirtute contra alias gentes fi-

nitimas uti uolebant (Peterus 1, 502. Mommsenius 1, 708.). In prouinciae autem formam Galatia redacta est, Octauiano principe, cum Amyntas rex, liberis exheredatis, Romanos heredes instituisset. (Dio 53, 26. cfr. Fabricius et Reimarus ad h. l. 6, 85[181] Stz.)

Maximam autem admirationem mouet, quod Velleius nec Moesiam prouinciam neque Commagenen commemorauerit. Ac Moesiam quidem Marquardtius (105.) a M. Crasso, III. uiri nepote, stipendiariam factam esse contendit. Quod neque ex eis, quae Dio (51, 27) de bellis illis narrauit, conligi posse puto, neque ex Octauiani uerbis, quae sunt apud eundem 53, 7. Nam praeter Gallias, sine dubio a Caesare subactas, et Aegyptus et Pannonia, quae deuictae sint, adferuntur. Sed illam a Messalla superatam quidem esse, sed non redactam in dicionem, Marquardtius 103[38] ipse concedit. Quo modo igitur fit, ut hac ex coniunctione Moesiam tunc prouinciam fuisse concludat? Itaque non est, quod cum Marquardtio miremur, si in partitione prouinciarum, inter Senatum imperatoremque facta, Moesiae nulla mentio fiat. Caecina autem Seuerus, qui dicitur τῆς Μυσίας ἄρχων (Dio 55, 29 p. 408.) non ex Moesiae uenisse a Velleio narratur (2. 112, 4), sed *ex transmarinis prouinciis*. Quaeritur ergo, utrum Velleium sequamur, qui bella Pannonica praesens uiderit, an Dionem. At enim Poppaeus Sabinus a. 14. p. C. n. Moesiae legatus fuisse perhibetur (Tac. ann. 1, 79.). Ipsum autem Dioni contrarium adfirmat Appianus (Illyr. 30.), qui a Tiberio demum Moesiam prouinciam esse factam narrat. Quae cum ita sint (si Seuerum illum ἄρχοντα adpellari considerauerimus), legatos imperatoris saepe in eas terras missos esse suspicor, quae quanquam nondum uniuersae subiectae essent, tamen eas subactum iri spem facerent. Itaque scriptores, paullatim Romanorum imperio inualescente, non dilucide inter hunc illumque statum puto distinxisse. — Contra merae Vellei neglegentiae uidetur tribuendum, quod Commagenes nullam mentionem iniecit. Nam si non propria quaedam prouincia facta est (ut Marquardtius 174. ex Taciti ann. 2, 56 falso conligere uidetur, cfr. Nipperdeius ad h. l. p. 119.), certe, coniuncta cum Syria, Romanorum imperio erat subiecta. Neque uero alioquin Velleius eas terras enumerare omittit, quae cum aliis coniunctae sunt factae stipendiariae. Namque Aetolia nunquam per se erat prouincia; quanquam uerum est, a. 565. eam a M. Fuluio Flacco ita esse subiectam, ut Romanorum imperium maiestatemque conseruare cogeretur (Liu. 38, 11.).

Quibus omnibus consideratis non multum huic prouinciarum enumerationi tribuendum esse facile intellegitur.

XVI.

Nunc (2, 46.) Velleius transit eo, ut, quo modo societate potentiae, inter III. uiros inita, paullatim dissoluta ad bellum ciuile peruentum sit, exponat. Ante autem quam dissolueretur, Lucae foedus illud instauratum esse non narrat (IIII, 10.). Qua re factum est, ut Pompeius Crassusque consulatum adipiscerentur, huic Parthicum bellum administrandum mandaretur. Caesari igitur ullam cum Pompeio Crassoque communionem fuisse negatur, neque petendi consulatus inhonestitatis (46, 1.), quam Boeclerus 909. ex factiosa petitione repetit, quidquam ad illum redundat. Fuisse autem petitionem aliis non inhonestiorem, per se patet. Quod enim L. Domitium competitorem armis repellunt (Plut. Pomp. 52, 1. App.

B. C. 2, 17.), quodque, consules creati, Catonem a praetura prohibent (τὰς φυλὰς διαφθείραντες Plut. l. c.) iamdudum ea erant in usu fori Romani. Gestus uero est consulatus non minus probabiliter, quam Caesaris. Neque enim III. uiri praeter ipsorum commoda quidquam in utroque spectant.

Duo autem erant, per quos bellum ciuile, quo minus erumperet, prohibebatur: Crassus et Iulia. Quorum ille bello Parthico interiit[30]), haec paullo post morte absumpta est[31]) (2. 47, 2.). Cur uero Crassus bellum Parthicum administrare tam acriter gestiret, recte Velleius adsecutus est. Difficile enim dictu uidetur, utrum auri fame, in dies magis intenta, excitatus sit ad tanta pericula subeunda sexagenarius, an gloriae cupido, per longum tempus oppressa, ad aemulandos Caesarem Pompeiumque eum stimularit (Mommsenius 3, 322.). Tum Pompeius, bellum non amplius differri posse perspiciens, auxilia circumspexit. Optime igitur Velleius Pompeium, id quod postea saepe creditum est, proprie ab optimatium partibus non stetisse exponit. Idem conligi potest ex 2. 48, 4. ubi haec leguntur: *hic* (Curio) *primo a Pompei partibus, id est, ut tunc habebatur, pro republica* et quae secuntur. Quibus non repugnat, quod 2. 62, 1. senatus partes dicit Pompeianas. Deinde eo confirmatur, quod Milonem, Catone absoluente[32]), Pompei uoluntate condemnatum esse narrat (2. 47, 4.). Nec tamen satis Velleius inlustrauit, quo modo optimatium partes Pompeius corroborauerit (Peterus 2, 278.). Nil enim de commutata prouinciarum administrandarum forma (Dio 40, 56.), nil de lege iudiciaria dixit (Cic. Brut. § 324.).

Post consulatum uero Pompei tertium utrimque bellum praeparatur. Primam autem belli indicendi occasionem praebuit Marcellus, qui de successore Caesari mittendo etiam atque etiam in Senatu uerba faceret. Cui sententiae occurrit Curio (App. 2, 27. Dio 40, 61.) ita, ut et Caesarem et Pompeium exercitum dimittere oportere censeret. Illum autem ipsum Curionem Velleius dicit flagrantissimam belli facem subiecisse (2. 48, 3.), eumque fuisse eundem depingit, quem Dio (40, 60 p. 656.). At quod dubitari dicit, num corruptus ad Caesaris partes transierit, id non fuit uocandum in dubium. Nam Curionem aere alieno a Caesare liberatum esse constat[33]). Recte autem Velleius, quem ad modum Curio machinatus sit, describit. Nam Caesari iam deditus multa et in senatum et in Caesarem rogauit, ut cum illa reicerentur ad huius partes transire coactus uideretur (Dio 40, 61.). Tum autem

[30]) Crassus autem a Surena superatur (Plut. Crass. 21, 6.), non ab Orode (V. 2. 46, 4.) suaque culpa in perniciem inruerat (Drumannus 4, 98-101.). De Atei tribuni exsecrationibus, quas iecit proficiscente Crasso (42, 3.), nil Plutarchus (16, 3.) et Dio (39, 39.) cfr. Cic. ad Att. 4. 13, 2. Non dubium est, quin Velleius recta narrauerit.

[31]) *Septimo* anno post Caesarem in Gallias profectum Iulia in cod. exstincta esse dicitur (2. 47, 2.). At Iulia mense septembri a. 53. mortua est (Drumannus 3, 763[5].), Caesar autem Id. Apr. a. 58. diem Heluetiis dixit, qua ad ipsum conuenirent (B. G. 1. 7, 6 Nipp.). Itaque non quarto anno, ut Kritzius uult post Laurentium, sed quinto post profectum Caesarem anno decessit Iulia, atque ita Haasius scripsit. Quam lectionem si ueram esse statuimus, ualde dubia fit Kritzi regula, de corruptis Vellei numeris proposita (XXXXII.). Vtrum autem ex fili partu an ex filiae decesserit (Plut. Caes. 53, 4. Dio 39, 64. Fabricius et Sturzius ad h. l. 5, 244[250].) non sane magni interest.

[32]) Dubitat quidem, num Cato reum uere absoluerit Asconius ad Cic. Milon. 35 (8, 1 p. 545 Schuetz.), sed nulla dubitandi idonea caussa est.

[33]) C HS. apud Vell. 2. 48, 3. non recte scriptum esse putat Drumannus 3, 387[38]., Val. Max. 9. 1, 6 tradente DC HS.

narrat (§ 4) Curionem impediuisse, quo minus pax sub eis condicionibus fieret, quas iustissimo animo proponeret Caesar, Pompeius aequo animo reciperet. Hae condiciones, quae fuerint, satis perspicuum non est. Nam Curio, a senatu Roma expulsus, Caesarem, ut statim Romam exercitu peteret, commouere temptauit; sed ille denuo pacem reconciliare conari statuit. (App. 2, 32: *Κουρίωνι μὲν δὴ συγκαλεῖν ἐδόκει τὸν στρατὸν ἅπαντα ἤδη καὶ ἄγειν ἐπὶ Ῥώμης· Καίσαρι δ' ἔτι πειρᾶσθαι διαλύσεων.*) Antea autem Caesar pacis condiciones nunquam obtulit, quae Curio ut respuerentur efficere posset. Postquam uero Curionis rogatio senatui probata est, non Curio, quo minus quae conclusa essent perficerentur, impediuit, sed optimates omnia peruerterunt, ad Pompeium summa rerum delata (Drumannus 3, 403.). Itaque nil restat, nisi ut Velleium eam Caesaris epistulam significare ducamus, qua se exercitum praeter duas legiones [34]) dimissurum esse promisit, contentumque se fore Gallia Cisalpina, si aequalia Pompeius faceret. Quae postulata lenissima et sunt et a Caesare ipso (B. C. 1. 5, 5.) adpellantur (cfr. App. 2, 32.). Atquin illam ipsam epistulam Curio ad senatum tulit, neque ille pacis ineundae spem discussit, sed optimates primum epistulam in Senatu recitari noluerunt; deinde neque illi neque Pompeius Caesaris condiciones aequo animo receperunt, sed ille eo processit, ut per Scipionem se tunc senatum adiuturum esse, neque unquam postea declararet (Caes. B. C. in.; Drumannus 3, 405.). Hi autem rem eo perduxerunt, ut Caesarem, ni stata die exercitum dimitteret, hostem iudicatum iri minarentur (Vell. 2. 49, 4. App. 2, 32. 33.). Quae cum ita sint, quod tempus Velleius spectauerit prorsus non intellegitur. Itaque aut neglegentiae aut argutiarum studio illa uerba tribuenda sunt.

Item quod deinde refert, Ciceronem unum reipublicae concordiae cauisse, quid sibi eo uoluerit Velleius, dubitatur. Quanquam Plutarchus idem saepius adfirmat (Pomp. 59, 3. Caes. 31, 1. Cic. 37, 1.); tamen Drumannus et eum et Velleium ambiguis Ciceronis ipsius uerbis deceptos, pacis conseruandae studiosum illum fuisse arbitratur censuisse (3, 400 [22].) Ac uerum quidem est, Caesaris non ita multum referre potuisse, utras partes Cicero amplecteretur; sed tamen et ipse et Balbus blandas ad eum litteras mittere non desierunt (Cic. ad Att. 7. 3, 11.); imo non est, cur Cicero mentiri putetur, qui ipse adfirmet, Caesarem a se petisse, ut Pompeium ad pacem conseruandam hortaretur (ad Att. 8. 2, 1.). Possit igitur ita res habere, ut Caesar Ciceronis consilia (quae quin ille Pompeio dare non destiterit, nequit dubitari) duxerit toleranda, atque eum etiam hortatus sit; non quo pacem per eum conseruare uellet, sed quia uel ad ipsius partes hominem trahere uel certe a Pompei retinere temptabat. (cfr. Peterus 2, 280.)

XVII.

Bellum ciuile describens Velleius eos secutus uidetur esse, qui antiquae reipublicae formae studiosi res Romanas inlustrauerunt (Sauppius 161.). Quocirca Pompei caussam meliorem dicit, firmiorem Caesaris (2. 49, 1.). Valde autem mirum uidetur, uituperari Velleium, quod postquam omnia, quibus ad bellum Caesar commoueretur exposuisset quaeque pacis recon-

[34]) Velleius quidem 2. 49, 4. de una legione memoriae prodidit. Sed id uidetur ex commixtione repetendum esse eorum, quae a Caesare proposita sunt, atque eorum, quae Senatus postulauit.

ciliandae caussa temptaret, non declarauerit etiam atque etiam, Rubicone transito perduellionis crimen in se admisisse (Sauppius 162.). Etenim Velleium uidimus distinguere inter Pompeium, qui sibi imperium adfectaret, atque optimates reip. propugnatores (XVI, 31.). Illum Caesar adgressus est, hos, qui ultimum, quod offerretur, refugium expetierant, simul adflixit. Certe autem admirabile est, postulari, ut in Caesare reprehendatur S. P. Q. R. laesa maiestas, postquam ista maiestas et a popularibus, Cinna Carbone Mario Romam adgressis, et ab optimatibus, Sulla Carbonem exturbante, denique ab ipso Pompeio misere pessum data iacuit. Verum enimuero cum a Velleio omittatur, Caesarem saepius in ueterem cum aduersariis pacem redire temptasse (ueluti Caes. B. C. 1. 14, 1.), illius gloria imminuitur. Atque multis etiam aliis rebus probatur, Velleium hac in parte narrationis Caesaris commentarios secutum non esse. Ita, ut omittam Pompei fugam ualde neglegenter narrari (2. 49, 5.), qui Brundusi remansit, obsessus a Caesare (B. C. 1. 12, 3. Drumannus 3, 438.); Massiliam posse uideri captam esse ante Caesaris in Hispaniam aduentum (2. 50, 2.), cum multo post Bruto et Trebonio traderetur (B. C. 2. 22, 6.): aerarium Romae effractum pecuniamque ad bellum adhibitam esse[35]), contra ipsius Caesaris uerba (B. C. 1. 14, 6.) silentio praetermittitur. Illud uero plane absurde in Caesaris laudem comminiscitur Velleius, Afranium et Petreium, fulgore armorum Caesareorum occaecatos, se suosque tradidisse (2. 50, 4.). Imo fortiter pugnant ad Ilerdam (Caesar B. C. 1, 41 sq.), ut Caesar ipse rem in angustiis fuisse dicat (1. 48, 5.). Quanquam sunt, qui Afranium saltatorem meliorem, quam imperatorem fuisse tradant (Dio 37, 49., quem sequitur Drumannus 1, 39. 3, 457.) Contra Liuius Afranium cum Scipione Bruto Cassio coniunctum saepe ut insignem uirum laudauit. (Taciti ann. 4, 34. Mommsenius 3, 375.)

Bello autem Hispanico finito, Caesarem et dictatorem esse factum et Romam redisse (B. C. 2. 21, 5. Dio 41, 30. App. 2, 48.), ubi leges tulit de aere alieno aliisque de rebus, (B. C. 3, 1. Suet. Iul. 42. Rudorffius, H. I. R. [1857.] 1, 48 sq.) prorsus neglegitur. Deinde ualde contorte ea exponuntur, quae ante pugnam Dyrrhachicam euenerunt. Neque enim quantis Caesar difficultatibus laborauerit, satis adparet, antequam in Graeciam transmitteret, neque quanta eius fuerint in Graeciam transgressi pericula ante aduentum M. Antoni (B. C. 3, 25.). Quae omnia non ex admiratione Caesaris nimia repetenda, sed neglegentiae condonanda arbitror. Quod uero temporis momentum (2. 51, 3.) Velleius spectauerit, cum narraret, primum Caesarem Pompei castris sua iunxisse, mox obsidione eum pressisse, dubitari potest. Bis enim prope Pompeiana sua Caesar castra posuit: ad Apsum flumen, ubi de pace agebatur (B. C. 3. 13, 6; 19, 1.), et circa Asparagium ad Genusum (3. 41, 1.) Sed illic Caesar prior castra posuit, adpropinquauit ei Pompeius; hic nimis prope alter ab altero fuisse non uidetur. Attamen hic locus significari putandus est. Praelium etiam, quod ad Dyrrhachium commissum est, Pompeio magis prosperum fuisse cum dicitur, nimis uidetur extenuari (2. 51, 3.). Nam ad summum discrimen Caesaris res adductae sunt, ut iter illud, quo *Thessaliam petisse* eum narrat Velleius, fugae perquam simile esset.

35) App. 2, 41: *τὰ δὲ κλεῖθρα τῶν δημοσίων ταμιείων ἀπέκοψε καὶ τῶν δημάρχων ἐπὶ Μετέλλῳ κωλύοντι θάνατον ἠπείλει.* Cic. ad Att. 7. 21, 2. Dio 41, 17. Vtrum autem claustra fregerit, an claui, a Lentulo relicta, aperuerit, perparui interest.

Sed tamen in magna hac narrationis neglegentia non puto Velleium duos Balbos confudisse, uti Puteano 935. Ruhnkenio 249. Kritzio 284. placet. Balbum autem natu minorem, fratris illius Balbi filium, pro quo Cicero orationem habuit, solum hoc loco spectari posse patet, qui singulari audacia Dyrrhachica Pompei castra intrauerit (2. 51, 3.). Balbus enim maior per totum ciuile bellum res Caesaris Romae administrauit (cfr. Balbi ep. in Cic. ad Att. 9. 7, 2. p. 222 Or.). Quaeritur ergo, num omnia ea, quae de Balbo Velleius narret, in Balbum minorem quadrent. Hispanus dicitur fuisse non ex ciue natus (ita enim cum Morgensternio sine dubio legendum est). Atque a Plinio (H. N. 5, 5.) docemur, eum cum patruo ciuitatem obtinuisse. Quod sane, si pater iam ciuitatem habuisset, fuisset superuacaneum. Deinde certe hic de Garamantibus triumphauit (Strab. 3, 169 p. 451. Sieb.; Solin. 29, 7. Plin. c.). Pontificem factum esse neque maiorem neque minorem constat; itaque cur Velleium errasse putemus, nil caussae est (Drumannus 2, 609 [39].). Sed quod ex priuato consularis factus esse dicitur (nam sic in codice legitur), uehementer uiros doctos uexauit. At magnum eum honorem gessisse, ex eo consequens est, quod a Tiberio in senatu primus sententiam rogatur (Dio 54, 25.). Nec tamen necesse est cum Sauppio 163. argutiam nescio quam suspicemur. Cogitari enim facile potest, eum ad Garamantium bellum pro consule missum esse. Ita Catonem pro praetore in Cyprum missum esse uidimus (XIIII, 28.), qui non minus ex priuato praetorius factus est, quam si nullum etiam tunc magistratum gessisset [36]). De itinere autem Balbi, temere ad Lentulum facto, nequit dubitari, quanquam neque a Caesare, qui ne labem ea re contraheret timebat, neque a Dione, qui Caesarem in plerisque sequitur, commemoratur (Cic. ad Att. 9. 32, 3.).

Post uictoriam ad Dyrrhachium reportatam, quam uiam Pompeius sequeretur, ualde dubitatum est (51, 1.). Alios igitur hortatos esse narrat Velleius, ut in Italiam rediret, alios, ut bellum traheret: sed illum suo impetu usum in Thessaliam Caesarem esse persecutum. Quorum illud Velleius saluberrimum futurum fuisse arbitratur, quod in dies exercitum creturum esse sperari potuerit. Quid autem? Pompeius maiorem Caesare exercitum habebat, neque erat ei optandum, ut plures etiam optimates ad se traheret. Sed debellandum erat cum Caesare paruique, semel initio relicta Italia, intererat, utrum in Graecia an in Italia debellaretur (Peterus 2, 354. cfr. Drumannus 3, 504. Mommsenius 3, 403. App. B. C. 2, 65. Plut. Pomp. 66, 4.). Optimum igitur uidebatur bellum ducere. Quod fecisse Pompeium negat Velleius. Sed et necesse erat, Caesarem in Thessaliam sequi, ne forte nouas uires adquireret, et, Thessalia petita, dubium non est, quin, Caesare, qui inopia premebatur, saepius ad pugnam lacessente, Pompeius semper pugnam detrectauerit, donec ab optimatibus manus conserere cogeretur (Cic. Ep. 7. 3, 2. Plut. Pomp. 66, 1.). Itaque pugna Pharsalica uictus est. Post uictoriam a Caesare non saeuitum est in uictos. Quod qui generoso Caesaris animo soli attribuunt, errare uidentur (Vell. 2. 52, 5.). Nam Afranium, cui semel ignouit, postea interfici iussit, Faustus Sulla, qui ei uidebatur periculosior, interemptus est (Suet. Iul. 75. Flor. 2. 13, 90.). Itaque non quia uere ignouit, sed quia contempsit optimates, eos per-

[36]) Prorsus inutilia sunt, quae de Balbi maioris uita neglegenti stilo exarauit Eloutius, diss. ad Ciceronis orationem pro Balbo (L. B. 1828. p. 9-13.), qui Balbos ita confundit, ut maiori adsignet theatrum, quod quia aedificauerat, minori a Tiberio honor fit.

sequi superuacaneum duxit. Ei enim, qui unus omnium maxime negotia ei facessere non desiit, Catoni, uel ultra mortem infestus erat.

Quae de fuga morteque Pompei a Velleio narrantur uolgaria sunt. Illud autem ex neglegentia Vellei uidetur esse repetendum, quod cum Theodotum et Achillam consilia eius interficiendi fecisse narret (2. 53, 2.), qui eius mortis praecipuus auctor fuit, Pothinum (cfr. Plut. Caes. 48, 3.) ne uerbo quidem attingit.

XVIII.

Quae insecuntur Caesaris bella ualde neglegenter et extra temporis ordinem enarrantur. Bellum enim Pharsalicum exceperunt seditiones Alexandrinae. Velleius autem uenienti in Aegyptum Caesari factas esse insidias refert (2. 54, 1.). Sed concursus factus est ad Caesarem (B. C. 3. 106, 4.), et militum eius non nulli sunt trucidati, ut libenter se in regiam reciperet (Dio 42, 7.). Hoc igitur statim ab initio factum est a uolgo inordinato. Post autem bellum non a plebe profectum est, sed a Ptolemaeo rege eiusque amicis conflatum. Quod apud Velleium non adcurate distinguitur. Neque magis unde illa in Caesarem ira orta sit demonstratur. Aegyptii enim partim aegre ferebant, quod Caesar Cleopatrae partibus aperte magis faueret (B. C. 3. 107, 2.), partim tributa conferre grauabantur (Dio 42, 34: *ταῖς εἰσπράξεσι βαρυνόμενοι*), quae ob pristini regis aes alienum ab eis exigebantur. Atque bellum illud non, uti ex Vellei uerbis concludi possit, statim finitur. Sed Caesar, qui fortasse difficilem rerum statum non prorsus perspexit (Plut. Caes. 48, 3. Drumannus 3, 533), admodum premebatur, ut et regem captum retinere et Pothinum interficere cogeretur (Plut. 49, 3. App. 2, 90. Dio 43, 29.).

Bello Alexandrino statim Africanum a Velleio adiungitur. Sed et bellum cum Pharnace celerrime compositum (55, 2.) hoc loco inserendum fuit et enarranda ea, quae c. 68. referuntur, Caeli Milonisque facta (Hirt. B. Al. 34.). Deinde non commemoratur, Caesarem, post bellum Alexandrinum Romam reuersum, dictatorem III. et consulem esse factum. Contra recte Velleius fortunam in Africam Caesarem comitatam esse dicit. Nam iterum tali difficultate laborabat, ut eo maxime Scipionem[37]) uinceret, quod Iuba hostium excursionibus in regnum redire coactus est. Non minus dubio Marte in Hispania pugnatum est, ut „summus illius temporis dux casui uictoriam debere uideretur.“ (Drumannus 3, 628. Dio 43, 38.)

Iam uero Caesar principalem in republica locum adeptus esse dicitur quidem (56, 3.), sed quibus rebus se ipse confirmauerit, quaeque fecerit ad uetera partium studia componenda populumque unius imperio adsuesaciendum, prorsus omittuntur. Contra miris quibusdam orationis ambagibus curruum triumphalium magnificentiam Velleius depingit. Quid autem caussae fuerit, cur Caesar a uiris clarissimi nominis interficeretur, uarie a ueteribus expli-

[37]) Quem falso narrat Velleius 54, 2. biennium ante mortem a Pompeio socerum esse lectum. A. enim 700. iam Pompeius Corneliam duxit, cum a. 706. decederet. cfr. Plut. Pomp. 52, 2. Dio 40, 51: *αὐτὸς* (Pompeius in consulatu sine collega ei delato) *Σκιπίωνα πένθερόν τέ οἱ ὄντα προσείλετο.* App. 2, 24 etc.

catur (Drumannus 3, 694 sq.). Velleio uero ullum in Bruto fuisse patriae amorem, quamuis esset peruersus, negat (2. 56, 3.). Nam cum tyrannum Caesarem adpellari Bruti facto expedisse acerbe animaduertit, Brutum non uere tyrannum duxisse Caesarem statuere uidetur (2. 58, 2.). Atque Cassium quidem semper omnes dixerunt (Drumannus 3, 705 [61]), ira in Caesarem incensum, propterea quod in praetura urbana petenda Bruto postponeretur, coniurationem conflasse (*μᾶλλον ἰδίᾳ μισοκαίσαρ ἢ κοινῇ μισοτύραννος.* cfr. V. 56, 3.). Sed tamen Cassium non imperatorem tantum, uerum etiam imperium odisse (Plut. Brut. 8, 3.), ex eo sequi uidetur, quod, ne Caesar successorem ipsi fortasse parem haberet, ut Antonius quoque interimèretur, non desiit hortari. Quod uero Cassius Caesaris, qui mitis esset, imperium Pompeiorum se praeferre scripsit (Cic. ep. 15. 19, 4.), nihil ad rem. Namque in duobus malis cum leuius esse eligendum statuit, esse illud malum, non negat. Inconsiderate autem a coniuratis actum esse, nemo facile negabit [38]). Sed ii mihi uidentur peccare, qui coniuratos grauissime reprehendunt, ingrati in Caesarem animi fuisse eos clamitantes (Vell. 2. 56, 3.), sed qui, unde prouenerit ingratus ille animus, ne conantur quidem enucleare. Quod si fecerint, et Pompeianos et Caesarianos ex quieto somno exterritos esse intellegent eo, quod Caesar regium nomen si non temptabat adipisci, certe temptare uidebatur (Peterus 2, 395. cfr. V. 2. 56, 4., qui omnem imprudentiae, siqua est, culpam Antonio tribuit. App. 2, 108. Plut. C. 60 extr. Dio 44, 3-12. praecipue 11 p. 204. Suet. Iul. 9.). Tunc enim „umbra illa legitimae reipublicae formae“ (Mommsenius 3, 440.), cui uitam ad id tempus subesse opinabantur, nil intellexerunt esse, nisi fumum, quem facillime Caesar posset dissipare.

XVIIII.

Post Caesaris mortem res, adueniente Octauiano, fusius enarrantur. Tametsi omissa sunt, quae maioris momenti uidentur, funus Caesaris Antoni laudatio plebis in coniuratos rabies. Ac ne Vellei quidem narratione adiuti satis ea possumus inlustrare, quae inde ab id. Mart. usque ad pugnam Philippensem facta sunt. Namque quas partes hoc tempore Lepidus egerit, qui cum exercitu extra urbem commorabatur, prorsus silentio praetermittitur. Quo fit, ut non satis sit dilucidum, cur postea in Octauiani Antonique societatem adscitus sit. Deinde quae ante Octauiani in urbem aduentum, quae postea acciderint, non adparet. Ita omissae sunt leges Antoni agraria (Cic. ad Att. 15. 3, 8 etc.) et iudiciaria (Cic. Phil. 1. § 8. § 9.). Acta autem Caesaris iam antequam Octauianus adueniret falsa ab Antonio publicata esse, quanquam Velleius (60, 4) postea demum, adiuuante Dolabella, id factum esse narrat, per se clarum est. Namque S. C. illud, quo omnis uis restituta est actis Caesaris, triduo post mortem illius factum est (Drumannus 1, 112 [39. 44].). Pecunia etiam ex Opis templo iam antea direpta est (2. 60, 4.) [39]). Postea autem haec res a Velleio inseri uidetur, propterea quod Antonius illius pecuniae parte Dolabellam corrupit (Cic. Phil. 2 § 41.).

[38]) *Ἔτι γὰρ ᾤοντο τὸν δῆμον ἀκριβῶς Ῥωμαῖον, οἷον ἐπὶ τοῦ πάλαι Βρούτου τὴν τότε βασιλείαν καθαιροῦντος ἐπυνθάνοντο γενέσθαι.* App. B. C. 2, 120 p. 341.

[39]) Denuo aliter de pecuniae summa Velleius atque ceteri. cfr. Kritzius h. l. p. 310.

Nam Dolabella, quod Velleius non satis dilucide descripsit, ab Antoni consiliis adeo fuerat alienus, ut contra L. Antoni legem agrariam orationem haberet (Cic. ad Att. 14, 20.). Postea autem, Syriam prouinciam iuuante Antonio adeptus[40]) (App. 3. 8, 16.), uel inter VII. uiros creatus est, qui ex illa lege facti sunt (Cic. Phil. 8 § 9, 14 § 6.). Tum Antonio in Campania morante (id quod Velleius ne commemorat quidem), denuo ad optimatium partes inclinat (Suet. Iul. 85.). Itaque quem furorem consulum Velleius fuisse dicat (2. 60, 4.), qui tunc, Romae iam morante Octauiano, erumperet, difficile est perspectu. Nam quod Antonius D. Bruti loco Galliam Cisalpinam consecutus est, cum non solum Dolabella, sed etiam Octauius hac in re ei suffragati sint, non potest significari (Dio 45, 8. App. 3, 39 sq.).

Omnino autem clarum est, Antonium a Velleio acerbitate haudquaquam merita exagitari (III, 9.). Cuius rei exempla locorum abundantia adferri possit: 2. 63, 1. (*dum erat sobrius.*) 73, 2. (*uirtutes quae interdum in eo erant.*) 85, 5 p. 357. (*imperatorem fugacissimi militis functum esse officio.*) 87, 1. (*ut multa desidiae crimina morte redimeret*). Quid autem? mirandum non est neque probro uertendum Antonio, quod Octauium, ualde ipsi incommodum, primum metu exturbare temptauerit. Nam adoptio illa, quae dicitur Caesaris testamento facta esse, nil omnino ualet[41]). Itaque repulit illum, cum ad eum ueniret salutatum (Vell. 60, 3. cfr. Dio 45, 5: καὶ λόγῳ καὶ ἔργῳ αὐτὸν ἐκάκου.), atque insidiis se ab eo peti simulauit (Plut. Ant. 16, 4.). Postea cum Octauianum terrore repelli non posse cognouisset, calliditate ei occurrit. Ex omnibus autem, quae Velleius narrat, quem ad modum Octauius egerit, ut ad summae potentiae fastigium adscenderet, non satis dilucidum fit. Quamuis enim magno opere eum conlaudet (2. 61, 1.), quod Antonio remp. defensurus exercitum[42]) opposuerit: tamen cur tunc ab optimatium partibus steterit, mox potentiae com-

[40]) Itaque non post Octauiani aduentum Syria Dolabella decreta est. Vell. 2. 60, 5.

[41]) 2. 59, 1. Dio 44, 35 p. 275. Hoc de testamento saepe multa ab ICtis disputata sunt; nuperrime Bachofenius in libro: ausgewählte Lehren des röm. Civilrechtes 1848. et locos, qui huc pertinere uidebantur conlegit et eis comparatis demonstrare conatus est, totam hanc adoptionis formam non ad ius ciuile spectare (eaque de caussa ab ICtis Romanis nunquam eius mentionem fieri, p. 243, III.); sed ad ius publicum. Nec enim ea adoptione id, quod ceteroquin adrogatione solet contineri, adgnationis ius in aliena familia adquiritur, sed testamento adrogatus eum quem in republica locum pater adoptiuus obtinuerat occupat. Ita quidem Bachofenius. Quae si uere disputata essent, summo opere confirmarentur, quae Dirksenius („versuche" 1823 p. 76 sq.) studuit probare: adoptandi uerbum a rerum scriptoribus prorsus non adcommodate hac in re usurpari. Namque adrogatio iuris tantummodo ciuilis est. Potest sane ex ea oriri in principalem locum succedendi spes: sicuti in Marcello atque in C. et L. Caesaribus animaduertitur. Sed nunquam Octauianus ita adoptauit nec potuit adoptare alienos, ut successuros eos in regnum esse, iam certum esset atque exploratum. Ita Marcellum adoptare Octauianus non est contentus: sed ut populo eum commendaret, penes quem, interprete scilicet uoluntatis senatu, sine dubio principalis loci adsignandi ius erat, omnium uirium contentione elaborabat. cfr. Hoeckius, H. R. 1, 347. Quod certe superuacaneum fuisset, si ex adoptione eum successurum esse constaret. — Mirum autem est, quod Drumannus 1, 125. curiata lege ad adoptionem confirmandam neque opus fuisse, neque eam fieri consuesse adfirmet. Quod neque ullo argumento probauit et aperte repugnat uerbis Dionis 45, 5 u. 31. (νόμος φατριατικὸς) καθ' ὃν τὴν ἐσποίησιν αὐτοῦ τὴν ἐς τὰ τοῦ Καίσαρος γενέσθαι ἔδει. — Certe autem a Bachofenio non praetermittenda fuerunt Iuli Obseq. illa (12, 8.): *C. Octauius testamento Caesaris patris Brundusi se in Iuliam gentem adsciuit.*

[42]) Ipse Octauius (Mon. Anc. 1, 1.) se exercitum coegisse dicit. Fuit sane exercitus adiunctis illis duabus legionibus, ab Antonio ad eum transgressis. Ante autem quam illas habuit inordinatus euocatorum globus erat. App. 3, 40. Dio 45, 12. Hoeckius 1, 227. quam rem oratorie exornat Cic. Phil. 3 § 8 — Va-

munionem cum illo ipso Antonio inierit, non satis exponit. Tametsi ne ueteranos quidem Caesaris reipublicae caussa exciuerat, sed ut ipse tutus esset. Timebat enim, ne Antonius Brundusium cum legionibus Parthicis reuerteretur (Dio 45, 12 p. 306. App. 3, 40 p. 451.). Vbi autem reuersus est Antonius, legiones Martia et Quarta ad Octauium transierunt. Quod Velleius cognita senatus uoluntate et iuuenis indole uictis a militibus factum esse narrat (2. 61, 2.). Quorum illud militum ingeniis prorsus repugnat, hoc redolet oratoriam amplificationem. Nam legiones illae iam cognitum habebant Octauianum. Quippe ex Macedonia arcessitae erant, quo Caesar ad bellum Parthicum eos praemiserat (Reimarus ad Dion. 45, 13. t. 5 p. 452 [61]). At Caesar, nequando ad gubernacula reipublicae accedenti militum auxilia Octauiano deessent, ut illorum iam antea consuetudine uteretur, cauerat[43]) (Drumannus 4, 254.). Multo igitur rectius caussam, ex qua legiones transierint, Appianus (3, 43 p. 445.) ex eo repetit, quod Antonius paruam modo pecuniae summam inter eas se distributurum esse promiserat. Contra Octauianus grauem pecuniam eis pollicitus est. Cum quibus rebus quomodo cohaereat Mutinense bellum non adparet. Nam Velleius Antonium in Galliam Cisalpinam profectum esse, ut a D. Bruto eam uindicaret, praetermittit[44]).

XX.

In tota hac rerum enarratione Octauiano summa integritas tribuitur eumque pro republica stetisse significatur, donec malitia senatus coactus est, non contra remp., sed contra Senatum cum Antonio et Lepido arma coniungere. Itaque ei primae in bello Mutinensi partes non sine ueritatis damno tribuuntur (2. 61, 4; 62, 4.). Post uictum autem Antonium redisse animum optimatibus, ut Bruto Cassioque transmarinas prouincias decernerent (62, 1.). At illae prouinciae ante bellum Mutinense, simulatque Antonius hostis iudicatus est, coniuratis concessae sunt (App. 3, 63. Hoeckius 1, 230.)[45]). Quare senatus ingratus in Octauianum fuisse dicitur[46]) (§ 5.). Nec potest negari infidam per haec tempora senatum personam egisse, sed ceteris hercle non infidiorem. Atque Octauius quidem se neque coniuratis, quippe qui uniuersum orientem obtinerent, neque Antonio, qui interim exercitum cum Lepido coniunxisset (2. 63, 1.), cum boni euentus spe resistere posse ratus, foedus cum Antonio ac Lepido inire temptat[47]). Post bellum enim Mutinense Planco et Asinio Pollione

pulat autem Velleius a Casaubono ad Mon. Anc. l. c. (2 p. 382. Suetoni Wolf.), quod Octauium XVIIII. annum dicit ingressum, cum ipse se XVIIII. annos natum fuisse testetur. Sed nil uideo „adulationis", uideo aliquid neglegentiae.

[43]) Apolloniae praeter res militares litteras Octauium tractasse (V. 2. 59, 4.), demonstrauit Sauppius 153.

[44]) Hirtius autem et Pansa non, ut Velleius dicit, designati consules erant, cum SC. illud fieret, sed uere consules. App. 3, 51 p. 466. Popma 975.

[45]) Drumannus quidem (1, 321 [95]) Cassio post bellum Mutinense Syriam prouinciam decretam esse, narrat, cui adsentitur Sauppius 153. cfr. Dio 47, 29 p. 528. Lentulus in Cic. Ep. 12. 14, 4.

[46]) Ea quae Peterus 2, 464. disputat a Velleio 2. 62, 6. confirmantur. Quanquam iocum illum Ciceroni uitio uertit, tamen in illa eum tempore incidisse consequitur. cfr. Cic. ep. 11. 20, 1; 21, 1.

[47]) His temporibus Ciceronem Philippicas orationes in Antonium habuisse dicit, Canutium eundem continua rabie lacerasse (2. 64, 2.). Sed primum Cicero Senatus propugnator erat, Antoniumque adgressus

transgressis nouas Antonius uires adquisierat (2. 63, 3.). Sed in Plancum rara est Vellei acerbitas. Nam non solum omnia, qua mala sane multa in eo fuisse inueniuntur, exagitat (2. 63, 3. 67, 3. 73, 3. 83, 1. 95, 3.), sed etiam quae a nullo alia rerum scriptore confirmantur narrat; sicuti D. Bruti uitae eum insidiatum esse adfirmat (2. 64, 1.). Neque potest negari iudicia illa ex inimicitiis quibusdam profecta uideri (Sauppius 166.). Nam Plancus ipse in republica gerenda tam nullius momenti est, ut, cur tot locis omnino commemoretur, uix intellegatur.

De trium uirorum autem communione ita narrat Velleius (2. 65, 1.), ut non ab Octauio, sed ab Antonio eius rei consilia profecta esse uideantur. Quod eo mirabilius erit, si Velleium reputauerimus nihil narrare de Octauio Romam profecto deque consulatu ante initam societatem illam armorum ui adrepto. Certum autem est (id quod ex rerum Octaui statu necessario sequitur), Octauium ab Antonio societatem impetrauisse (App. 3, 96. Dio 46, 52.). Contractae societatis prima condicio erat ea, ut Octauius consulatus se abdicaret (App. 4, 2 p. 533. Hoeckius 1, 235.), scilicet ne ceteris esset potentior. Contra Velleius post triumuiratum constitutum falso narrat initum esse ab Octauio consulatum[48]). Nihilo tamen setius suffectum esse Ventidium eo anno arbitratur.

Triumuiratum autem proscriptiones secutae sunt, ut Velleius dicit (66, 1.), Antoni et Lepidi, frustra resistente Octauio. Quod ita saepius addubitatum est, ut Suetonius (Oct. 27.) audiretur, qui primum Octauium restitisse narrat, deinde saeuitiam eius eo uehementius erupisse (Sauppius 163.). Quanquam autem non nego, Octauium a crudelitatis crimine non prorsus posse liberari (Drumannus 4, 294), tamen reputandum est, et quem ad modum ille a Senatu atque ab Antonio incitatus sit, ut eum recalcitrare prorsus consentaneum uideretur, et neminem adfinium praeter Thoranium, qui a non nullis tutor eius dicitur (Suet. 27. App. 4, 12 p. 546.), ab eo trucidari iussum esse, cum a Lepido et Antonio ne proximis quidem adgnatis parceretur.

est, laudauit Octauianum, ut optimatium partes ab illo aduersario liberarentur, hoc adiutore inualescerent. Contra Canutius Octauiani partes orationibus tutatus est. cfr. Dio 45, 7 p. 294. 12 p. 306. 48, 14 p. 596. Peruerse igitur hic cum illo coniungitur. Deinde orationes Philippicae (quae solae hoc loco possunt significari) tunc iamdudum ad finem perductae erant. Quarta enim decima habita est statim post uictoriam Mutinensem. Denique ne id quidem uerum est, Canutium primum proscriptorum esse interemptum (2. 64, 4.). Nam et Appianus, B. C. 4, 12. Paullum quendam primum fuisse narrat, et Dio 48, 14 p. 596. Canutium Perusia capta perisse.

48) Itaque, ni fallor, circulo uertitur Zumptius (ad Mon. Anc. 41.), qui ex his ipsis Vellei uerbis inter comitia consularia et aditum consulatum temporis spatium intercessisse conligit. — Sed quod Velleium uituperant, quia falso consulatum ab Octauio initum esse dicat a. d. X. Kal. Oct. i. e. pridie natalis diei, errare uidentur. Norisius, cen. Pis. p. 93. D. Drumannus 1, 336. Nam id sine dubio recte referunt Dio 56, 30 p. 476. Macrobius Sat. 1, 12 p. 263. Bip. a. d. XIIII. Kal. Sept. comitia consularia habita esse. (At quod Norisius Dionis uerba: ἐν ᾗ ποτε τὸ πρῶτον ὑπάτευσεν de i n i t o consulatu dicta esse intellegit, ipsi relinquendum est.) Contra recte animaduertit Zumptius l. c., in re tam celebrata propter insequentia praecipue natalitia Velleium errasse, uix credibile uideri; atque ex Dione 46, 47. conligi posse temporis aliquod spatium inter comitia et consulatum interfuisse. Cur autem siuerit tempus intercedere Octauianus, difficile dictu est. Fortasse tamen potentia parumper contentus magistratum auspicatus non est, ne aperte accusationes, liberatoribus intentas ex lege Pedia, ipse consul administrare cogeretur (Dio 46, 48 p. 448.). Itaque omnia per Pedium faciebat. Postea, antequam ad pacem cum Antonio faciendam profectus est, ut dignitati ceteris praestaret, consulatum auspicatus est.

XXI.

Iam reditur ad coniuratos (2. 69, 1. I, 3.), qui totum interea orientem occupauerant. Nam Dolabella a Cassio siue interfectus est, siue se interficere coactus (App. 4, 62 p. 611. Dio 47, 30), prodita, quod non dicit Velleius, Laodicea (App. 4, 62 p. 610. 5, 4 p. 716.). Brutus autem Vatinium adegit, ut uolens ipsi legiones traderet, L. Antoni, pugna uicti, exercitum clementia ad se perduxit. Falso igitur Velleius (2. 69, 3.) priorem Antonium, deinde Vatinium transisse narrat (cfr. Dio 47, 21. Appian. 4, 75.). Porro omittit, coniuratos Smyrnae conuenisse, ut quo modo bellum gerendum esset disceptarent, Cassique tandem ualuisse sententiam, qui Asiam, hic illic etiam tunc rebellem, subigendam esse censeret, cum Brutus Graeca Adriae littora occupari uellet (App. 4, 64. Dio 47, 32. Plut. Brut. 30, 1.). Ita factum est, ut Cassius Rhodum obsideret. Quam urbem inmani opere eum cepisse, de capta clementissime disposuisse Velleius dicit (§ 6.). Sed proditam urbem esse, ex Appiano 4, 72. probabilissimum est. Neque uero clementia Cassi nimia fuit. Quanquam enim diripere urbem militibus non permisit, tamen quinquaginta uiros proceres interfici iussit, et omnem ex templis pecuniam abstulit (App. 4, 73 p. 625. Drumannus 2, 136[27].).

Pugnae has res Philippenses insecutae sunt, ubi coniurati uicti suis manibus plerumque perierunt. Partes uero hac in pugna magnas uirtuteque conspicuas Octauiani fuisse ita negat Velleius (2. 70, 1.), ut adfirmari putes. Videtur enim Octauianus pugnae uere interfuisse, quanquam Actorius medicus ne castris excederet eum orabat. At quamuis falsum sit, Octauianum Dyrrhachi propter aduersam ualetudinem remansisse (Dio 47, 37.), tamen eum, *munia ducis* in praelio non obisse, omnes uno ore consentiunt (App. 4, 110 p. 674. Plut. Brut. 41, 1 [49])). Mortuorum autem Cassi et Bruti ingenia, etiamsi temeritati interfecti Caesaris omnes eorum uirtutes ablatas esse censet, non sine sagacitate quadam Velleius diiudicat (2. 72, 1 et 2.).

Post pugnam Philippensem Velleius magis magisque eo deflectit, ut in rebus tantum ab Octauiano gestis enarrandis diutius commoretur, ceteros neglegat. Itaque, quae ante foedus Brudusinum Antonius in Oriente fecit, non commemorantur. Contra quod Caesari instabat bellum Perusinum fusius describitur. Attamen quid Fuluiae et L. Antonio caussae fuerit belli contra Octauianum ciendi non exponit, nisi quod Antonium omnis uirtutis expertem fuisse, nil muliebre praeter corpus Fuluiam gessisse dicit (73, 2.) [50]). Bellum autem primum improspere a Caesare gestum est, id quod tacet Velleius. Nam Roma ab Antonio capitur (App. 5, 30.). Deinde non uirtute Caesaris (74, 4.), sed fame coactus Antonius Perusiam tradit [51]) (App. 5, 46.). Sine dubio autem falsum est, quod Velleius in Perusi-

[49]) Drumannus 2, 142[67] absurdam dicit esse illam de medico insomnio conterrito fabellam. At et Appianus et Plutarchus se ex Octauiani commentariis rem hausisse adfirmant.

[50]) Nec „*instituta*" agrorum diuisio cum Ruhnkenio legendum uidetur, nec „*in ista*" cum Sauppio 166 n., sed „*iusta*" retinendum. Veteranis enim agros adsignari necesse erat, atque Octauianus, ut damnum quantum posset fieri dominis restitueretur, operam dabat. App. 5, 13. Hoeckius 1, 246.

[51]) Nec Asinius nec alius Antoni amicus auxilio uenit. — Ille quae circa Althinum praeclare gesserit (V. 2. 76, 2.), nemo exponit. Drumannus 4, 561[15]. 1, 413[3]. Contra non ita honeste Patauinos eum torsisse, elucet e Macrobi Sat. 1, 11 p. 249 ed. Bip.

nos saeuiri noluisse Octauianum dicit. Contra Octauianus omnes magistratus interfici iussit (App. 6, 48.). Tametsi alios ira militum necatos esse negari non potest (Drumannus 1, 410. 4, 294. aliter sentit Peterus 2, 498.).

Vnus etiam tunc erat, qui bellum inter Antonium et Octauianum quominus exardesceret impediebat, S. Pompeius. Qui si uere uitiis illis omnibus laborasset, quae Velleius (73, 1.) in eo fuisse narrat, quo modo Octauiano, omnibus uirtutibus praecellenti, tamdiu potuerit resistere, non sane intellegeretur. Sed item Drumannus (4, 590. cfr. Peterus 2, 507.) Pompeium pusilli ingeni fuisse opinatur, cum Mommsenius (3, 417.) eum ingenio sine dubio praeditum fuisse dicat. Mihi autem illi iniuste iudicare uidentur. Sermone enim eum fuisse barbarum uel Cicero (ad Att. 16. 4, 1.) redarguit. At quod Velleius eum libertorum suorum libertum, seruorum seruum fuisse dicit, si argutiam detraxeris, eo redibit, quod libertos classis legatos habebat [52]). Quod uero incitantibus Mena et Menecrate libertis Statium Murcum interfecisse dicitur (2. 77, 4.): ne Murcus quidem, qui superbum Pompei animum conuiciis lacesseret, ab omni culpa uidetur uacasse (App. 5, 70 p. 804.). Deinde infidiorem fuisse Pompeium, quam omnes ceteros, qui tunc de imperio certabant, nusquam proditum est. Latrocinia autem iniuste a Velleio uituperantur, cum Dolabellae Bruti Cassi Antoni expeditiones maritimas silentio praetermittat (Dio 48, 17 p. 600.). Certe autem Pompeius non is erat, qui aequo animo aduersam fortunam pati posset. Itaque quanquam non modo fortuna (Drumannus 590.), sed ipsius etiam uirtute ad potentiam prouectus est, tamen, ubi uictus est, ferox iuuenis animus supplicem agere non potuit (Vell. 2. 79, 5.).

Hic igitur uincendus erat Octauiano. Ac primum quidem a populo annonae inopia coactus (consensum expostulasse ciues dicit Velleius 2. 77, 1., conuicia et lapides in Caesarem iecisse Appianus 5, 68.), inuito animo ad Misenum pacem cum eo facit. Postea Octauianum, ut milites ad bella sequentia exerceret, contra Illyricos expeditiones fecisse Velleius narrat (2. 78, 2.). At expeditiones illae, siquid Appiano (Ill. 16-24.) tribuimus, incidunt in annos 719-735., ut post finitum demum cum S. Pompeio bellum incipiant. Qui error ex studio illo Vellei, quo res inter se conectere temptat, repetendus uidetur esse (I, 3.). Interim et Vellei uerbis probatur et ab aliis confirmatur, inuitum Octauianum cum Pompeio pacem inisse, ut primam renouandi belli occasionem studiose adriperet. Nec Velleius (89, 1.) redintegratum esse bellum propter crescentem in dies Pompei potentiam infitiatur (cfr. Hoeckius 257.). Qua re Caesaris laus sane non exaggeratur.

Sine dubio falso Velleius narrat, Agrippam statim ab initio classi aedificandae ab Octauiano praepositum esse. Nam Dio (48, 46 p. 658.) post cladem demum apud Cumas acceptam naufragiumque circa Vibonem factum ad Agrippam Caesarem refugisse tradit. Error autem Vellei ex eo natus uidetur, quod duo quidem Caesarem naufragia fecisse distinguit, sed priorem calamitatem Veliensem commemorat, quam duce Agrippa classis perpessa est. Neque tamen tempestates solae patrandi belli mora erant (2. 79, 4.), neque Octauianus rebellem oppressit, sed de summa rerum certauit (Hoeckius 2, 61.). Quoniam autem mino-

[52]) Quorum de nominibus certi quid effici posse non uidetur. Menae et Menecrati nomina fuisse Velleius bis tradit; Appianus 5, 66. eorum alterum dicit Menedorum, alterum non adpellat. Fabricius autem ad Dion. 48, 30. (5, 556 [122] Stz.) Menae nomen ὑποκοριστικόν demonstrat esse pro Menedori.

ris momenti hoc bellum fuisse Velleius opinatur,, Antonium ab Octauiano auxilio uocatum esse, non commemorat, Lepidum inutilem alienae uictoriae comitem dicit (80, 2.). Qui si fuit, cur ex Africa eum adsciuit Caesar? Neque uero Statili Tauri, Antoni legati, classis nulla subsidia attulit. Certe autem illud Caesari periculosum erat, quod Lepidus S. Pompei legiones ad se traxit. Quo factum est, ut, postquam in consiliis a Caesare semper dissedit, illi, excederet Sicilia, denunciare auderet. Ea in re quid fuerit audax non uideo. Nondum enim principis locum (ut Velleio uidetur 2. 81, 1.) Caesar occupauit. Sed tamen, ut ab aduersario liberaretur, legiones Lepidi a duce distrahere constituit. Quod si ita perpetrasset (V. 2. 80, 3. 4.), ut, inermis sine comitibus castra ingressus, nolentes, sed tanta uirtute attonitos secum duceret: imprudentissime sane fecisset. At Caesar, si non uere pecunia multos milites sibi deditos reddiderat (App. 5. 12, 5 p. 872.), certe multos sibi deditos esse sciebat. Deinde non inermis castra introiit, sed lorica prudenter indutus (App. 125.). Attamen ubi milites Lepido fidi adcurrerent, celeri fuga se seruare non dubitauit (App. d. Dio 49, 12.). Tota igitur haec res prudentius, quem Velleius tradidit, gesta est, quanquam fortitudinis Octauiani non leue est exemplum (Hoeckius 422 [2].), eaque Caesari non tam propter uirtutem ipsius quam propter Lepidi inertiam bene cessit (App. 126.). Nec tamen hic *supplex pedibus Casaris aduolutus est* (V. 2. 80, 4.). Caesar enim honorifice exceptum Romam misit (App. l. c.).

XXII.

Interea Antonius bellum cum Parthis infeliciter gessit, ita tamen, ut ducem se qualis esset praestitisse uideatur (Plut. Ant. 42, 1. 43, 1. 46, 1. Florus 2. 20, 7.). Neque tamen, id quod Velleius tradit (2. 82, 3.), fugam eum uictoriam adpellasse ullo modo constat. Imperator enim salutatus est, postquam prima pugna Parthos fudit (Plut. Ant. 39, 4. 5.). Posteriore uero tempore si uere uictorem se gessisset, epistula illa Octauiani, qua se calamitatem istius dolere scripsit, ultro et nulla exstante caussa irritatus esset. Post bellum uero Parthicum, quae duobus uiris belli renouandi caussae fuerint, prorsus Velleius omittit, sed debellatum esse ad Actium ita narrat (84, 1.), ut maxime consentaneum illud fuisse uideatur esse arbitratus. Nam quod Antonium crescente in dies Cleopatrae amore bellum patriae inferre dicit constituisse (2. 82, 4.), id ex parte tantum modo uerum est. Fuit enim ex utraque parte par ius iniuriaque [53]). Sed Octauianus, a Sosio consule incitatus, Antonium in Senatu accusauit atque, ut bellum Cleopatrae indiceretur, impetrauit (Dio 50, 2.). Vtriusque autem partis exercitus uix iuste a Velleio describuntur. Quamuis enim facile largiar, classem Octauiani Antonio superiorem fuisse, ut iam ante pugnam uictoriam apud eam fuisse dici posset (84, 2. cfr. Dio 50, 11 p. 782. 14 p. 790. Drumannus 1, 475 [84].): tamen id male concinit, quod omnia apud Antonium marcida fuisse dicit (84, 2.), cum ipse deinde fortissime uel sine Antonio classem pugnauisse narret (85, 3. cfr. Dio 50. 34.) [54]).

[53]) Mirum est, quod iniuriae, quae Octauiae ab Antonio factae sunt, nusquam commemorentur. Contra a Caesare Antoni testamentum, apud Vestales depositum raptum, recitatumque esse, prudenter omittitur.

[54]) De eis, qui in pugna Actiaca classibus utrinque praefecti fuerint, uarie traditur a Velleio 85, 2. et a Plutarcho Ant. 65, 1. 2. Ac primum quidem non recte uidetur dubitare Sauppius 163., num uere

Post uictoriam autem partam Caesarem se clementissimum in uictos praestitisse collaudat (86, 2.). Sed primum non ita clementiam magnam fuisse Dio tradit (51, 2 .... *τῶν δὲ κορυφαίων τῶν συμπραξάντων τι τῷ Ἀντωνίῳ πολλοὺς μὲν χρήμασιν ἐζημίωσεν, πολλοὺς δὲ καὶ ἐφόνευσε καί τινων καὶ ἐφείσατο.* cfr. Drumannus 1, 485 sq. Hoeckius 301.). Deinde Velleius ipse Sosium L. Arunti fide seruatum esse dicit (§. 3.). Extremo si uere multis Octauianus pepercit, non tam ex miti eius animo id repetendum esse censeo, quam ex ea qua semper in republica gubernanda usus est temperantia [55]).

Quanquam igitur summus Octauiani aemulus deuictus erat, tamen nunquam per totam eius uitam deerant, qui siue Octauiani odio incensi ipsi eum quem obtineret locum adsequi conarentur, siue antiquam reipublicae formam restituere elaborarent. Quorum conamina quod ita oppressit Octauianus, ut maiestatis reos [56]) interfici eos iuberet: non est, cur ei, qui sacrosanctus a senatu iudicatus esset, uel iuris ratione habita uel aequitatis, uitio uertamus (Sauppius 163.), aut cur Velleio exprobremus, qui eandem opinionem secutus uidetur (2. 91, 2.). Atque in illo numero est Lepidus, qui a Maecenate tacite de medio tollitur [57]). Eodem modo Murena (de quo sane Dio 54, 3. dubitat, ac ne Velleius quidem id abnuere uidetur; cfr. Reimarus ad Dion. 6, 99 [23].) et Caepio et Egnatius Rufus [58]) et Iulus Antonius (Loebellius 235.).

XXIII.

Ea, quae Octauiani familiae acciderunt, quique uarii successores ab Octauiano designati sunt, usque dum in Tiberio regnum futurum stabilitum est, fusius a Velleio explicantur.

Octauianus omnibus partibus adfuerit. Quanquam enim dextro eum cornu praefuisse Plutarchus narrat, tamen facile id explicatur. Nam eo ipso tempore, ubi Sosius cum Antonianis progressus est, in illo cornu adgrediendi signum dedit. Deinde in Coelio sine dubio Plutarchus errat, quem pro Sosio intrudit (cfr. Reimarus ad Dion. 50, 31. (6 p. 630 [156].). Sed laeuum cornu cum Plutarcho Drumannus 481 n. 24. Agrippae adsignat, idque eis, quae durante pugna facta sint, defendi putat. Quorum ego nil inueni. Contra Velleius Agrippae, id quod ueri simillimum uidetur, omne certaminis classici arbitrium commissum esse dicit. Itaque utrumque ita possumus conciliare, ut sicuti Octauianum Liuio, ita Agrippam Aruntio plerumque adfuisse arbitremur.

[55]) De Cassi Parmensis morte satis dictum esse censeo a Drumanno 3, 732 [27]. Si enim uerum est, quod tradit Valer. Max. 1. 7. 7., Cassium post pugnam Actiacam Athenas perfugisse ibique perisse (neque est, cur id addubitemus), ante Turullium moritur, qui postea ab Antonio Octauiano traditur (Dio 51, 8.). Itaque non satis recte Velleius 88, 1 R. eum ultimum perisse coniuratorum dicit.

[56]) At quod Saluidienum Rufum Sauppius 163. perduellem adpellari dicit, errat. Nec tamen alias tantum, atque Caesar, partes Rufus secutus est, id quod sane sceleratum consilium per se non fuisset (2. 76, 4.), sed Octauiani interficiendi consilia inierat. Dio 48, 33. App. 5, 66.

[57]) Ita equidem Vellei uerba intellego 88, 1. Contra Hoeckius 312 [3] difficultates superuacaneas sibi ipse parare uidetur. Nam ut Maecenas magistratum publicum non gesserit, ne poenam quidem publicam de Lepido sumere potest. Atque Appianus (4, 50.) narrat, accusatum esse Lepidum (*ἐδίωκεν*), deinde Actium ad Octauianum esse missum. Quod omni modo peruersum est. Si uere accusasset Maecenas Lepidum atque secundum leges cum eo egisset, a magistratibus hic fuit puniendus neque aut accusatori aut ei, cuius uitae insidiatus erat, tradendus. Omnino autem, quales tunc res erant, multo magis uidetur esse consentaneum, clam Maecenatem morte adfecisse Lepidum, quam in Caesarem, qui nondum apud Actium uicerat, odium accusatione commouisse.

[58]) Rufus maxime a Sentio Saturnino oppressus est. Cuius de consulatu cfr. Loebellius 232. Cur autem hic laudetur a Velleio (2. 92, 2.), quod pecunias publicas in aerarium regessit, non intellego.

Attamen, quod optime Ruhnkenius p. 380. animaduertit, ne „arcana aulae curiosius speculatus uideatur" prudenter cauet (2. 93, 3. 102, 1.). Ac prima quidem sine dubio Velleius recte narrauit, quae secuntur addubitari solent. Nempe primus Marcellus designatus est[59]) (93, 1.), qui uidebatur successurus esse, si per Agrippam ei liceret (93, 2. Suet. Oct. 66. cfr. Hoeckius 1, 349.). Inseruntur autem huic narrationi bella a Tiberio ac Druso aliisque in Vindelicia Pannonia Germania gesta, et ita inseruntur, ut tota historia ad Tiberi uitae descriptionem redire uideatur.

Vt autem ea, quae deinceps de Tiberio referuntur, recte intellegantur, non Velleius prorsus prae Tacito neglegendus est (sicuti suasit Haasius prolegg. ad Tacitum [1855.] XXXXIIII n. 65.)[60]). Contra nemo nec poterit neque audebit fidem Velleio maiorem, quam Tacito, tribuere. Id solum comprobandum uidetur esse et posse comprobari, eam Tiberi personam, quam Velleius informauerit, non ab omni fide historica esse alienam. Nam quas res a Tiberio imperante per annos sedecim priores gestas esse narrat (2, 126.), eae facillime ex ipso Tacito confirmantur[61]). Itaque non in eis, quae gessit, sed in eis, ex quibus gessisse uidetur, caussis rei cardo uertitur. Ac primum quidem Velleius Tiberi militiae comes fuit, ut ea bella, quibus summus eius nomini splendor adferretur, praesens spectaret. Deinde Velleius librum composuit, etsi iam surgente, tamen nondum omnia dominante Seiano, a quo oppresso Tacitus (6, 57.) scelera simul et dedecora aperta Tiberi repetit. Accedit, quod Tiberius ipse saepe postea, quae sibi caussa fuerit agendi, exposuit. Mirum igitur non est, hoc ipsum uere Tiberio caussae fuisse referre Velleium, quippe cui diffidere neque aulico licuerit principi, neque militi in mentem uenerit imperatori. Itaque siquando falsam rei cuiusdam caussam retulit atque minus alte repetitam, non adulationi continuo tribuendum est. Potest tamen etiam esse, ut Tacitus nimis alte caussas agendi repetierit; quo non nunquam fit, ut Tiberium tali cogitatione ad rem aliquam gerendam commotum esse narret, quali commotum eum esse prorsus non sit probabile. Qua in re, id quod Sieuersius multis locis animaduertit, omittam disquirere, unde illa intima Tiberiani animi cognitio descenderit. Nam cum saepissime Tacitus eis Tiberium impulsum esse narret, quae cum uerbis eius grauissime pugnent, cumque addat, praeter Seianum nemini illum cogitata aperuisse: aut ex uano rumore cognitio illa hausta est, cui nil sane tribuere debet iustus rerum scriptor, aut ex morum Tiberi admirabili quadam scientia; qua decipi posse eum, qui nimis ei fidat, nemo non uidet. Attamen utraque re usus uidetur Tacitus. Atque omnino negari non potest, eum prauo impulsu Tiberium multo facilius usum esse suspicari, quam bono, ut, etiam sicubi res in incerto relinquit, tamen peius potius quam melius statuere cogamur. Quibus ante dictis res ipsas breuibus consideremus.

[59]) Quem frigide atque uerbis „ut aiunt" additis laudasse Velleium censet Ruhnkenius 380., ne in Tiberi offensionem incurreretur. Sed quo modo Tiberius laudibus adulescentis iamdudum demortui offendi potuerit, non intellegitur. Viuo enim Agrippa nemo, successor designatus, Tiberio, sed Agrippae praeferri uidebatur. Dio 54, 6. Hoeckius 351.

[60]) Ne Sieuersius quidem (Tacitus et Tiberius) 1, 5[8]. Velleio fidem haberi nolt, atque antiquam adulationis uituperationem plus semel in eum iacit (u. c. 1, 24. inprimis 2, 48.).

[61]) Conferri possunt, si tanti est, cum singulis Vellei enunciatis singula Taciti annalium capita: 1, 75. 1, 54. 77. 1, 76. 2, 48 extr. 2, 87. 2, 64. 1, 75. 2, 37. 2, 47. 4, 13. 2, 85. 2, 50. 2, 33.

Ac primum quidem, postquam in Armenia uirtutis specimen edidit[62]), ad bellum Raeticum missus est Tiberius (Dio 54, 23 p. 294 τὸν Τιβέριον προσαπέστειλεν), non quo solus copias duceret adiuuante Druso (95, 4.), sed ut uterque seorsim illas regiones incurreret. Agrippa deinde mortuo (96, 1.) Octauianus Tiberium Iuliam, Agrippae uiduam, in matrimonium ducere iussit, eodem autem tempore Gaius et Lucius ab Augusto adoptati sunt[63]). Illo matrimonio quid spectauerit Augustus, non intellegitur, si uere Tiberium eum odisse putas. Itaque Hoeckius (2, 16.) Liuiae calliditati illud attribuit (Tac. ann. 1, 10. Dio 54, 31.). Qua re Tiberium nil ipsum noluisse statuere cogitur, quippe qui uxorem dilectam dimitteret, perosam matris iussu duceret. Neque tamen quem ad modum, Iulia ducta, uia ad regnum patuerit satis perspicitur. Cum enim impuberes etiam tunc Gaius et Lucius multo post Tiberium morituros esse probabile uideretur, omnis spes Liuiae in morte eorum fatali posita erat. Quam si tunc iam moliebatur, inutile erat matrimonium. Nam Agrippis mortuis Tiberius erat solus relictus, in quem regnum cederet (cfr. etiam Norisius 90 E.).

Secutum est bellum Pannonicum, ex quo ouans urbem Tiberius intrauit[64]) (Vell. 97, 3. Suet. Ti. 9. Dio 55, 2.), atque post Lolli cladem Drusique mortem bellum quoque Germanicum ei mandatum est. Mirum autem est, a nemine Velleium uituperari, quod Drusum (37, 2.) ita laudauit, ut uix illo maius quidquam fieri posse uideatur. Nec tamen ille aut maiora bella gessit aut in pace excellentior fuit, nisi forte restituendae liberae reipublicae consilium sagacitatis cuiusdam politicae, quae dicitur, testimonium fuisse opinaris (Tac. 1, 32. 2, 82. Sieuersius 1, 9.). Expeditiones autem Tiberi Germanicas a Velleio maxime laudatas nullius momenti fuisse adfirmat Hoeckius (2, 32.). Sed cur Augustus propter illas ipsas expeditiones et imperatorem adpellari iusserit Tiberium et triumpho[65]) eum honora-

[62]) Sed non Artauasdes, ut uolt Velleius 94, 2., sed Tigranes in regno conlocatur. Mon. Anc. 5, 28. Zumptius ad h. l. 85. Tacitus ann. 2, 3. Quanquam autem minoris momenti hanc expeditionem fuisse Hoeckius 2, 45 [*]. adfirmat, Dio 54, 9: καὶ ἐπράχθη μὲν οὐδὲν τῆς παρασκευῆς ἄξιον — ὁ μὲν Τιβέριος ἐκ τούτων ἐγαυροῦτο, adulescentiae elatum animum condonandum puto esse.

[63]) Norisius 79 A. ex Vellei uerbis: *Cuiusque liberos .... D. Augustus praeposito Gai et Luci praenominibus adoptauerat* conligi posse sibi uisus est, alia antea eis praenomina fuisse (96, 1.) Mutabantur enim in adoptione praenomina; sicuti in P. Scipione animaduertitur, qui a Quinto Metello adoptatus Q. Metellus Scipio adpellatus est. Contra Dio haec eis praenomina fuisse iam antea testatur: 54, 8: υἱὸν αὖθις ὁ Ἀγρίππας ἀνείλετο τὸν Λούκιον ὀνομασθέντα. Itaque Vellei uerba ita mihi intellegenda uidentur: Caesar eos adoptauit inque ipsius nomen adsciuit ita, ut contra Romanorum consuetudinem pristina praenomina Iulio nomini praeponeret, scilicet quia illa ipsa in gente Iulia essent usitatissima.

[64]) Inchoatum dicitur bellum *Agrippa Mque Vinicio cos.* Correxit Lipsius, quem sequitur Ruhnkenius *ab Agrippa M. Vinicio cos.* Sed cum a. 19. Agrippam alio loco moratum esse nullumque omnino Pannonicum bellum fuisse constet (Sauppius 134 **)), sine dubio cum Haasio scribendum est: *ab Agrippa Mque Vincio ... consulari.* — Non recte autem Sauppius 154. Velleium reprehendere uidetur, quod Drusi expeditiones post Tiberi ouationem retulit. Nam ipse Velleius dicit, *durantibus Pannonicis bellis* Drusum Germanis bellum intulisse (97, 1.). Quod uero diuersas in Pannonia expeditiones in unam *uidetur* contraxisse, id non ex neglegentia repetendum est, sed ex breuitatis studio, maius opus molientis; cfr. 96, 3.

[65]) Alterum hunc triumphum fuisse dicit Velleius (§ 4.); Hoeckius adulationis eum hac de caussa accusat (32 [*].); contra enim hunc primum triumphum fuisse uerum adseuerat. At ouatio si non uerus triumphus erat, certe erat triumphus, uti inter omnes constat. cfr. Wolfius ad Suet. Ti. 9 p. 250. Adamus, A. R. 2, 124: .... so erhielt der feldherr eine geringere art von triumphe, welche man ouatio nannte."

uerit, non explicat (Vell. 97, 4. Dio 55, 6 p. 344.). An forte hac quoque in re Liuiae calliditate senex obstrictus est? Simul autem Tiberius collega tribuniciae potestatis ab Octauiano adsumptus est. Itaque in summo reipublicae fastigio conlocatur, ut recte princeps post unum omnium ciuium adpellari possit (99, 1.), imo ut Caesares se neglegi opinati sint (Dio 55, 9: τοῖς μὲν ὅτι παρεωρᾶσθαι ἔδοξαν.). Non ergo Agrippa tantum (Hoeckius 37.), sed Tiberius etiam hoc statu contentus esse potuit. Contra adoptionem si forte deesse dolebat; ut primus quis post imperatorem esset, illa non erat opus (cfr. XVIIII. n. 41.). Quid autem? uix Velleium illud prorsus commentum esse potest putari, quod, Octauianum Tiberium adoptare uoluisse, narrat, sed hunc repugnasse (103, 2.). Attamen Tiberius Rhodum secessit. Quod cum Velleius inenarrabili cuidam Tiberi pietati tribuit, qua ne Caesarum initiis ipsius gloria officeret timebat, certe errat (99, 2.), sed ita errat, ut quod ipse Tiberius postea caussae fuisse dixit quodque a multis creditum est, referat (Suet. Ti. 10. Dio 55, 3. Ruhnkenius ad h. l. 393.). Veram autem secessus caussam expediri posse, iure negauit Hoeckius 38. Sed non coactum esse Tiberium Roma discedere (Tac. 1, 4.), facile elucet (Sieuersius 1, 6.). Quid enim? Ipse Tacitus 1, 53. largitur, intimam ei secedendi caussam fuisse Iuliae adulteria; Suetonius, Ti. 10., summa eum difficultate ab Octauiano proficiscendi licentiam impetrauisse. Sine dubio autem Iuliae lasciuia sola commotus non est. Puto eum desiderio sui et ciues et Octauianum adficere uoluisse. Statim enim adparere oportebat, Gaium eum ducem non esse, qui in Tiberi locum succedere posset. Itaque „praecox Caesarum ambitio," quae nullis rebus gestis fulciretur, eum offendit (Dio l. c. βουληθεὶς δὲ τρόπον τινὰ μᾶλλον αὐτοὺς σωφρονίσαι. cfr. Norisius 100 C.). Iam Velleius honoribus eum Rhodi non caruisse narrat. Quos quanquam ei multos tributos esse nemo negat (Tac. 2, 42. Suet. Ti. 12. Hoeckius 2, 56.), tamen in eo Velleius iusto ulterius processisse uidetur, quod eum a Gaio, in Orientem proficiscente, conuentum eique omnes honores ut superiori habitos esse contendit (2, 101.). Sed ne hac quidem in re adulationis (Casaubonus ad Suet. Suet. Ti. 12; 4 p. 10 W.) uel „imprudentiae fallacis" (Hoeckius 2, 80.) uestigium deprehenditur. Namque certe Velleius et uitrico et imperatori summos honores habendos esse censuit. Idem in ea cadit, quibus a Tiberio digredientium dolorem describit (2. 99, 3.). Neque enim potuit intellegere, quo modo, qui Tiberium salutatum ueniret, non summa ueneratione adficeretur, aut is, qui ab eo discederet, doloris expers maneret. — Quod si uere Tiberius uolens discessit, tamen eum non inuito Octauiano reuertisse certum est. Vniuersam autem hanc rem fuisse subtilissimam ipse Velleius significat, qui Tiberium iam ante Gaium et Lucium mortuos Romam reuertisse, Octauianumque iam ante eum adoptare uoluisse, disertis uerbis adfirmet (103, 1.). Contra nil de epistula, qua Tiberius Octauianum, ut reuerti sibi liceret, dicitur rogasse (Suet. Ti. 12. Dio 55 p. 366.), deque eo, quod Octauianus Gai consensum dicitur requisisse[66]). Videtur igitur res ita se habere, ut postquam semel Tiberius Romam reli-

[66]) Nimius autem est Sauppius 155., Velleium incusans, quod Tiberium dicit post sumptum a C. Caesare uirilem togam discessisse, reuertisse Vinicio cos., septem annos Rhodi moratum (99, 4.). Gaius enim praetextam deposuit ipsis Kal. Ian. 749. (Norisius 2, 4 p. 102.), Vinicius consulatum gessit a. 775. usque ad mensem Iunium. Itaque sex annos plenos abfuisse putandus est et quod excedit. Neglegenter igitur Velleius annos numerauit, non temporis spatium, ut dicitur, a die in diem computauit. Contra Tiberium ante sumptam a Gaio togam uirilem profectum esse, non est ueri simile.

quisset, commodum Octauiano uisum sit, Gaio Lucioque praecipue cohortantibus, si diutius Roma abesset. Quod cur melius censuerit, uarie potest explicare (Sieuersius 1, 6.). Tiberius autem, qui Gaium absentem, Iuliam exsulem uideret, nil esse putabat, quod Rhodi diutius moraretur[67]).

XXIIII.

Gaio autem et Lucio Caesaribus uita functis, nullo aemulo Tiberius regni successor ab omnibus consideratur. Atque tunc ab Octauiano adoptatus est, qui reipublicae caussa se id facere dixit (104, 1.), simul cum Agrippa Postumo (103, 3.). Illa autem uerba cur Augustus adiecerit, uarie trahitur. Sed honorifici quid eis inesse, nemo facile negabit. Vt enim Octauianus Tiberium habuerit perosum, certe his uerbis, dignum illum fore successorem, eum duxisse probatur (Suet. 21. Boeclerus 1125. contra Tacitus 1, 10. Sieuersius 1, 3 sq.). Recens ex adoptione ad bellum Germanicum administrandum mittitur. Cum autem Dio (55, 28 p. 406: *οὐ μέντοι ἀξιομνημόνευτόν τι τότε γε ἐπράχθη.*) nil magni tunc quidem gestum esse narret, Hoeckius (2, 69.) nil omnino hoc bello profectum esse concludit. Sed ex Tiberi consuetudine erat, nil in bellis temere audere militumque, quantum fieri posset, uiribus parcere (37, 4.). Itaque consentaneum erat, eum non magnas cum Germanis pugnas conserere, id quod postea in Germanico uituperauit, sed maiore Romani exercitus potentia eos opprimere atque subicere. Nihilo tamen setius instar uictoriae est, quod usque ab Albim denuo processit[68]) immanisque emolumenti (105, 3.), quod in Germania ipsa Romani aestiua posuerunt.

Iam relicuum erat Marcomannorum bellum (108, 1.), qui duce Maroboduo in Bohemiam se receperant[69]). Nam ceterae, quae inter Rhenum Albimque habitabant, nationes, quanquam multum aberat, ut subiectae essent, tamen se ex bello semper inferiores euadere cognouerant. Atque cum Marcomannis pugnandum fuisse, propterea quod et situ regionis et magnitudine exercitus et ipsius Marobodui singulari ingenio uel Italiae periculum minitarentur, bene Velleius exponit. Sed periculosior etiam fit Romanorum condicio, cum Maroboduum adgressuri Pannonica seditione a tergis extemplo terrentur. Tunc necessaria gloriosis praeferens Tiberius pacem cum Maroboduo iungit (110, 3.)[70]).

[67]) Dio igitur errat, qui Tiberium post Gai Lucique obitum redisse narrat. — Animi Gai imbecillitas eo maxime demonstratur, quod, ut Tiberius rediret, permisisse traditur, propterea quod illo ipso tempore cum M. Lollio erat discors. (Suet Ti. 12.).

[68]) Quanquam falso Velleius primum Tiberium usque ad Albim progressum esse narrat, cum Drusus iam ad Albis ripam trophaeum exstruxerit. Dio 55, 1. Boeclerus 1131. — Veram autem esse illam de sene Germano, Tiberium admirante, narriatiunculam, etsi fortasse oratorie exornata sit, statuere non dubito. Boeclerus 1132. Giesebrechtius, in libro: geschichte der deutschen kaiserzeit. 1, (1860.) 27.

[69]) Maroboduus quo titulo in Marcomanni dominatus sit, haud facile efficitur (109, 1.). Kritzi autem huius loci lectio prorsus reicienda est, atque uel Sauppi uel Haasi suspicio sequenda, *custodia tuitus* uel *custodia cinctum* scribentium. Attamen totus hic locus parum, ut uidetur, ad regiae apud Germanos potentiae originem explicandam adhibitus est. Sed enim citatur a Waltero, hist. iur. Germ. 1, 26 n. 4.

[70]) Quod ut faceret, cur tam facile, sicuti uidetur, permotus sit Maroboduus, uix intellegitur. Certe autem haud recte Nipperdeius ad Tac. ann. 2, 46. p. 111. prudenti eum temperantia difficultatibus Romanorum usum foedus eis proposuisse conligit. Nam id neque Velleius commemorare supersederet neque in Taciti uerbis inest. cfr. Hoeckius 2, 74.

In Pannonicis autem bellis certe Velleio fides habenda est, quippe qui ipse per totum illud tempus Tiberi fuerit legatus. Singula igitur, in quibus a Dione dissentit, persequi longum est, neque caussae sunt ex interiore quadam rerum coniunctione haustae, quibus in hanc uel in illam partem adducamur. Quanquam hoc quoque in bello describendo maius illud opus Velleio obuersabatur (114, 4.). Illud certe mirandum est, quod Germanicum in Pannoniam aduenisse suo loco non referat, posteriore breuibus attingat (116, 1.). Sed ea, quibus Dio (55, 31.) factum esse dicit, ut Germanicus ad bellum mitteretur, ne Tiberius bellum traheret, absurda sunt. Tiberius enim, adoptatus ab Augusto, sine dubio successor ei erat destinatus et qui solus ei obesse potuit, Agrippa Postumus, exsulabat[71]) (Dio 32. Vell. 112, 7.). Deinde Germanico ad id misso Tiberi animus magis etiam exasperaretur necesse erat. Nam adulescentulum XVIII. annos natum quasi ephorum sibi adici, spectatus imperator non potest aequo animo ferre. Denique, si uoluisset Tiberius, magna ei in Pannonia fuisset opportunitas Germanici de medio tollendi. Itaque Germanicus et ad hoc bellum et ad Germanicum profectus uidetur, ut militiae adsuefieret. Statim enim Pannonicum bellum excepit clades Variana. Cuius calamitatis caussas ex Vari administratione praecipue Velleius repetit (2. 118, 2.). Atque hoc uerum est, quanquam Hoeckius (2, 91 ².) adulationis id esse contendit; quippe Velleium mandata, Varo ab Augusto data, non commemorare. Primum autem de mandatis illis nusquam mentio facta inuenitur (Hoeckius 89.) Sed ut commemorentur, aliud est dare mandata, aliud exsequi; idque Varum sine ulla et prudentia et temperantia fecisse, inter omnes constat. Tiberius autem post cladem iu Germaniam missus, gloriam quidem maximam sibi comparasse (120, 2.) non uidetur, quippe qui neminem haberet obuium, quem fundere posset (Dio 56, 25.), sed quin honorem nominis Romani aliquantisper restituerit, nequit dubitari. Certe autem Velleius in maius res ab eo gestas extollit (Vell. 121, 1.)[72]).

Deinde quae illa bella sequitur mortis Octauiani descriptio sine dubio oratoriis calamistris laborat (2, 123.), sed tamen contra res a Velleio narratas pauca admodum uidentur posse proferri. Vt enim Octauianus non *prosecutus* sit Tiberium, tamen una eos esse profectos certum est (Suet. Oct. 97. Hoeckius 2, 115.). Vtrum autem Tiberius reuocatus siue ab Augusto (Vell. 123, 2.) siue a Liuia (Tac. 1, 5.) ante mortem etiam aduenisset atque ab Augusto uaria adhortatus esset (123, 3.), iam Dionis tempore dubitabatur (56, 31.). Sed etiamsi a locupletioribus auctoribus Tiberium ante mortem aduenisse dicit negari, tamen uel Tacitus (1, 13.) supremorum sermonum mentionem facit, quibus Augustus homines et imperi capaces et summam rerum adfectantes denotauerit. Nemo autem erat, absente Germanico, quocum talibus de rebus conloqui posset, praeter Tiberium (Suet. Oct. 98 extr.).

Post excessum Augusti magnum omnes timorem inuasisse scribit Velleius 124, 1.[73]). Nam Tiberius, utrum acciperet imperium, an renueret, dubitare uidebatur. Cur autem dubitauerit, uarie explicatur. Velleius enim (124, 2.) aequalem eum ciuem, quam principem

[71]) Quem iuste condemnatum esse, ne Tacitus quidem infitiatur (1, 5.). Sed postea Velleius silentio praeterit eum occisum esse. Quo fit, ut magis etiam illud facinus Tiberio tribuere adducamur (Sieuersius 1, 12.).

[72]) Nec tamen adeo extollit, ut Hoeckius 109. putat, qui Velleio Ruhnkeni coniecturam (*contusis* pro *concussis hostibus* scribentis) sine ulla dubitatione adfingit.

[73]) Recte Sieuersius 2. 48 ³. haec uerba in eo numero ponit, ubi Velleius fines laudandi excedere uidetur.

agere maluisse, dicit, Suetonius (25.), metu Clementis Libonisque et exercitus Pannonici Germanicique eum retentum esse. At Clemens seditionem fecit post mortuum demum Agrippam Postumum. Libonem autem quam non timuerit Tiberius eo demonstratur, quod post biennium demum in Senatu eum accusauit, interim cauere satis habebat. Milites uero seditio incessit (Tac. 1, 16.), postquam Tiberius iam imperium certum tenuit. Vnus igitur Germanicus relinquitur, cuius metu Tiberium territum esse Tacitus 1, 7. quoque adfirmat. Quippe cum ille magna apud populum gratia gauderet magnumque secum haberet exercitum, ne tenere imperium quam exspectare mallet, timendum erat (Tac. 1, 35.). Quid uero? rebellantibus legionibus seque ad imperium ipsum euecturas esse promittentibus, nullus Tiberio metus Germanici militumque fuisse uidetur. Illud autem magis e re uidetur esse, quod Tiberium, multis antea Liuiae artibus adiutum, a populo imperium adipisci uoluisse narrat Attamen bene animaduertit Sieuersius (1, 18.) simul Tiberio cauendum fuisse, ne Senatui ius in posterum principis designandi concederetur. Itaque sane erat, quod in tanta difficultate cunctaretur. Sed tamen si uere infirmum Tiberius imperium esse putasset, quomodo statim ab initio populo comitiorum ius eripere potuerit audere, plane non intellegeretur (Vell. 2. 124, 3. 126, 2. Tac. 1, 15. Nipperdeius ad h. l.). Quanquam enim aut praesto ei erant Augusti scripta (26, 3.) aut simulauit esse, tamen ea nullam uim habuisse, per se clarum est (Hoeckius 3, 51.).

Quae librum concludit breuis de imperi Tiberiani annis sedecim prioribus enarratio, quanquam singula quaeque uel ex Tacito uera esse comprobantur (XXIII, 44 n. 61.), tamen recte panegyrico similior, quam rerum scriptioni adpellatur. Attamen non est, quod singulas res cum Tacito comparemus, praesertim cum totum hunc locum uberrime explicauerit Sieuersius. Qui Velleio quidem per se nullam habendam censet fidem, sed et ei et Tacito oratorias amplificationes, in diuersas partes factas, detrahendas esse, ut uera Tiberi imago informari possit.

Typothetae errore p. 3 u. 4 pro contineri scriptum est continere. Alia errata facile corrigentur.

INDEX LIBRORVM NONNVLLORVM QVI SAEPIVS CITATI SVNT INSCRIPTIONE IN COMPENDIVM REDACTA.

1. **Adamus, A. R.** — Handbuch der röm. alterthümer .... von L. Meyer. Erlangen 1806. 2 t.
2. **Beckerus, A. R.** — Handbuch der römischen alterthümer. Lips. 1843 .... fortgesetzt von Marquardt. 1849 .... 4 tom. 8.
3. **Drumannus, H. R.** — Geschichte Roms in seinem übergange von der republikanischen zur monarchischen verfassung. Königsberg 1834 ... 6 t. 8.
4. **Goettlingius, H. St. C. R.** — Geschichte der römischen staatsverfassung. Halle 1840. 8.
5. **Hoeckius, H. R.** — Römische Geschichte vom verfalle der republik etc. Göttingen 1841 ... 1 tom. in 3 part.
6. **Kritzius,** — M. Vellei P. quae supersunt ex historiae Romanae libris duobus. Lips. 1840. 8.
7. **Marquardtius, H. E. R.** — Historiae equitum Romanorum libri IIII. Berol. 1840. 4.
8. **Mommsenius, T. R.** — die römischen tribus in administrativer beziehung. Altona 1844. 8.
9. **Mommsenius, H. R.** — Römische geschichte. Berlin 1857 .. 3 t. 8
10. **Nitzschius, Gracchi** — die Gracchen und ihre nächsten vorgänger. Berlin 1847. 8.
11. **Peterus, Th. H. R.** — Zeittafeln der römischen geschichte. Halle 1854. 4.
12. **Peterus, H. R.** — Geschichte Roms. Halle 1853 .. 2 t. 8.
13. **Rudorffius, H. J. R.** — Römische rechtsgeschichte. Leipzig 1857 .. 2 t.
14. **Ruhnkenius** — C. Velleii Paterculi quae supersunt .. curante D. Ruhnkenio. Lugd. Bat. 1779 .. 2 t.
    Nomina Boecleri Lipsi Puteani aliorumque adiectis numeris posita ad uolumen alterum huius editionis referenda sunt.
15. **Sauppius** — Schweizerisches museum für historische wissenschaften, von F. D. Gerlach, F. F. Hottinger u. W. Wackernagel. Frauenfeld 1837. Tom. I.
16. **Sieuersius** — Tacitus und Tiberius. Hamburg 1850. 51. 2 pp. 4.
17. **Tillemontius, H. J.** — Histoire des empereurs. Venise 1732 ... 5 t. 4.
18. **Walterus** — geschichte des röm. rechtes. Bonn 1860 .. 2 tomi.
19. **Zumptius,** ad **Mon. Anc.** — Caesaris Augusti index rerum a se gestarum siue monumentum Ancyranum .... restituit Io. Franzius, commentario perpetuo instruxit A. W. Zumptius. Berol. 1845. 4.

HALIS

FORMIS HENDELIIS.